C. PR. v. d. HOEVEN,

DE

HISTORIA

MORBORUM.

DE

HISTORIA MORBORUM.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN,

DE

HISTORIA MORBORUM,

LIBER UNUS,

AUDITORUM IN USUM EDITUS.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS
Academiae Typographos.

1846.

Morbus vitae species.

PRAEFATIO.

Est pars historiae medicinae, objectivam *vocant, quae morborum origines et fata tradit quaeque ita cum altera parte*, subjectiva *illa, cohaeret, ut altera alteram illustret ac compleat. Hanc nuper demum colere pro dignitate coeperunt medici, praesertim ex quo cholera asiatica Europam ingressa ac populata est. Ipsa enim vel ignavos excitavit docuitque, studium epidemiarum*

impune negligi non posse, neque manipularem sufficere experientiam, aut vulgarem doctrinam ei, qui praeclaro hoc medici munere et officio rite fungi cupiat. Et profecto, si morborum epidemicorum historiam cognovissent medici, a multis erroribus atque opinionibus praejudicatis cavissent, quibus eam ignorantes decepti sunt. Nam cholerae epidemicae memoriam renovantes dolemus, medicos seculo decimo nono medicis seculo decimo sexto, aut aevo medio vix fuisse prudentiores. Nimirum de contagione inter sese dimicantes morbum rite observare neglexerunt: curandique ejus praecepta ac leges promulgantes legitimam morbique naturae adpositam curationem ignorarunt; unde crebro accidit, quod de ephemera brittannica relatum legimus, ut vulgus, natura duce, reperiret methodum, quam artis salutaris professores aut quaerere praetermiserant, aut quaerentes non invenerant.

Verum hisce minime continetur hujus studii historici utilitas, quae ad omnem omnino historiam

humanitatis pertinet. Videlicet haec, cultus generis humani historiam comprehendens, id est historiam psychicam, cum altera conjungi oportet, physica generis humani historia, si omnem generis humani historiam vitae complecti velimus. Et sane eaedem periodi vitae, quas in unoquoque homine, vario animi corporisque habitu expressas cernimus, quin in genere humano cerni possint, non est, quod dubitemus. Differunt Orientales a Graecis Romanisque, hi a Germaniae populis; ac quemadmodum horum cuique sua natura est, sic suos etiam cuique fore morbos exspectamus. Nequaquam tamen infitiamur, morbos Orientis in Europam migrasse: id quod et lepra et pestis testantur. Verum hi in Europa in novas sensim transierunt formas, aut aliis tandem morborum generibus cesserunt, aut diversimode fuere compositi ac complicati. Eadem lege sese explicat corpus in secunda adversaque valetudine. Alia post alia crescunt morborum germina seseque evolvunt, alio alioque tempore. Prima aetate scil., florente

et vigente vita plastica, qui nascuntur morbi, hujus erunt vitae aegrotantis species. Altera, respirationis et generationis officinae magis erunt peculiares. Tandem animalis vitae characterem expriment. Nempe, quod in regno organico observamus, genera ac species, singulas suis dotibus insignes, unum quoddam constituere et integrum, idem in regno organico morborum observandum est, quorum complexu demum nexus organicus, quo singula elementa cohaerent, comprehenditur.

Monstrat hunc nexum organicum anatome pathologica, qualis hodie colitur, sed monstrat methodo analytica, Synthetica contra methodo monstrat nosologia historica, quae nobis non anatomen morbi, sed physiologiam morbi spectandam praebet. Utraque methodus conjungatur oportet, ad perficiendam morborum scientiam. Neque tamen sufficit, nisi accedat exercitatio et observatio clinica, quae tamquam testis temporis praesentis, praeteritum et futurum copulabit.

Hoc tandem pacto spes est legitima, fore ut ple-

niorem aliquando possideamus morborum scientiam: quae sine hoc foedere manca esse et imperfecta debebit.

Nam sola anatome pathologica morbi physiologiam recludere nequit: per solam historicam methodum elementa organica morborum non satis patent; per solam clinicen medicam nexus ipsorum organicus non detegitur. Idcirco optandum est, ut studia historica, studia anatomica et studia clinica congruant: quorum altera sine alteris frigent.

Errare autem mihi videntur, qui putant, nihil ardentius quaerendum esse, quam sylvam observationum clinicarum. Quae si sufficerent, certe esset, quod laetaremur: siquidem hâc nostra aetate his observationibus abundamus, iisque non de uno tantum genere morbi, verum de pluribus multumque diversis morborum generibus. Quod autem non sufficiant, nostrorum historia temporum abunde testatur. Nimirum, ut sola observatio nondum scientiam creat, sic huic adjungantur

oportet comparatio, analogia, testimonium; ipsa denique naturae interpretatio, sine qua cognitio nostra, sensuum finibus contineretur, qualis puerorum esse, materiae inhaerentium, solet.

INDEX CAPITUM.

ORIENTIS MORBI.

Ut homo, ita genus humanum suas vixit aetates, quas in historia animadvertere licet. In Oriente generis humani primam aetatem cernimus, in orbe classico pueritiam et primam juventutem, in aevo medio adolescentiam, in orbe Germanico aetatem adultam virilem. Itaque Orientales primam vitae epocham, Graeci Latinique alteram, Germaniae populi tertiam vixerunt; cujus initium aetas media nobis repraesentat. Neque igitur in historia aliam magis naturalem temporum distributionem sequi nos posse censemus, quam ethnographicam, id est eam, quae a gentium ducitur discrimine, ab ipsa reï natura commendato: aliam vero quamcunque adpellamus artificialem ac magis vel minus arbitrariam, quod vel ipsa docet auctorum has partitiones statuentium, in ipsis illis definiendis, opinionum sententiarumque discrepantia.

Ordiamur proinde ab Orientalibus.

Inter Orientis morbos, duos maxime offendimus, qui jure summo primordiales generis humani morbi dicendi sunt: alterum acutum, chronicum alterum, utrumque sui ordinis principem et quemdam quasi prototypum: ille Pestis est, hic Lepra: in quibus tamquam in embryone quicunque alii reconditi esse videntur. Quapropter cum morbi in principio non tam definitas et circumscriptas formas haberent, factum est, ut minus adcurate ab auctoribus medicis discernerentur ac describerentur indeque natae sint de his descriptionibus apud recentiores auctores medicos querelae. Praeterea notandum est, in hisce morbis vigere et exuberare vitam plasticam, organicam, vegetativam. In Lepra idcirco non tantum insunt diversissimae impetiginum formae: maculae, squamae, tubercula, verum etiam exuberantes plurimum cutis partiumque subjectarum hypertrophiae ipsaeque ossium paratrophiae generisque lymphatici morbi, quales hodie in labe scrofulosa visuntur. In Peste vero tamquam latebant reconditae febres exanthematicae, petechiales, typhosae, nec deërant vitia lymphaticorum: pestis inguinariae (*Bubonenpest*) exemplo.

LEPRA HEBRAEORUM.

Leprae antiquissima descriptio in Litteris Sacris legitur. In Libro Moïsis tertio, Leviticus nomine, traduntur morbi signa et quidem Leprae albae potissimum squamosae: in antiquissimo poëmate Hiob describitur forma tuberculosa. Prior quantopere ad rei veritatem descripta sit, ostendit Hensler in docta Commentatione: de Lepra in Occidente. Probe vero notandum, a Legislatore Sacro praecipue memorari morbi contagiosi initia: maculam in cute albam, depressam, pilis quoque albescentibus, nec non criticam efflorescentiam, quarum dignotio eam ob caussam maximi facienda erat, ut num mundus esset, an immundus homo, sciri posset sicque immundum ab hominum consortio amovendo, impediri, quominus contagionis vi proserperet malum aliosque inquinaret. Exinde autem intelligitur, cur medicinae sacrae Hebraeorum praecipua ac primaria pars fuerit diaetetica; intelliguntur numerosae illae leges et ritus, hygieinen spectantes et medicinam prophylacticam.

Formam tuberculosam quod adtinet, quoniam de Hiobi morbo controversia est, haud pigebit, consulere Henslerum cumque eo conferre Dissertationem nuper editam a viro doct. ter Beek:

de Elephantiasi Surinamensi, quae utut suis notis distincta, proculdubio ad eandem morborum tribum pertinet. Nam etsi aliis symptomatibus discrepant, aliis conveniunt: quod forsitan a variis partibus affectis repetendum; illud certum est, in Elephantiasi Surinamensi aegrotare genus lymphaticorum ex impura phlegmasia.

In Elephantiasi Graecorum etiam genus venarum laedi et erysipelas accedere videtur. Elephantiasis Arabum Leprae magis affinis hujusque summus gradus habetur. Ex pulmonum tuberculis interire solent, qui hoc morbo pereunt. Quae cum morbo tuberculoso et scrofuloso cognationem subindicant. Nec dubito, quin priscis istis paratrophiis recentiorum contineantur principia heteroplasiarum aliorumque morborum organicorum, in quae deinceps secesserunt. Quantopere vigente vita plastica in hypertrophias inclinet natura, testantur neonatorum erysipelas et induratio telae cellulosae: neque ab altera parte ignoramus, aetate prima dyscrasias cutim legere inque cute macularum, squamarum, crustarum, tuberculorum, verbo efflorescentiarum sub forma prodire seseque manifestare, nec non systema corneum afficere praecipue: epidermidem, pilos, dentes; hinc scrofulosis, tuberculosis cutanea.

PESTIS ÆGYPTIORUM.

Lepra non minus ad Ægyptios, quam ad Hebraeos et Arabes pertinere videtur, ut dubium sit, utrum Africa, an Asia hujus morbi patria sit: neque immerito de illa dicitur, semper aliquid monstri alere. De Peste vero hodie inter viros doctos convenit: ex Ægypto esse oriundam hancque prae reliquis terrae regionibus ipsius patriam esse. Saltem ab antiquo inde aevo ipsi endemia fuit. Et sane permultae sunt conditiones, quae in hac regione ejusmodi morbo favent: annuae Nili fluminis inundationes, anni tempestates, coeli ardores, vitae regimen, aliae, de quibus Cff. Hecker, Haeser caet. Qua autem forma ac facie ibi primum prodierit, nolite quaerere, siquidem desunt relationes, quae hac de re certiores nos faciant. Bubones et anthraces a nonnullis tamquam characteristica signa pestis et dicta et habita, non semper observari, etiam recentiores auctores testantur, etsi memorentur loca, quae probant, ea jam ab antiquo inde aevo fuisse medicis cognita. Testimonia collegit Haeser I. p. 54 sqq. l. l. Interim verosimile est, initio Pestis formam minus fuisse expressam minusque evolutam, ut hoc etiam nomine cum embryonis forma sit comparata. Verum ne videamur conjecturis indulgere, agite

paullo adcuratius exponamus de prima hactenus cognita morbi pestilentis descriptione, percelebri illa apud Thucydidem: quandoquidem antiquiores relationes, quod dolemus, nobis desint.

Symptomata morbi haec fuere: capitis calores acerbi, oculorum rubor et inflammatio. Interne autem pharynx et lingua statim erant sanguinolenta, dum halitus oris emittebatur insolitus et foetens. Deinde his accedebat sternutatio et raucedo. Neque multo post dolor ad pectus descendebat, cum tussi vehementi. Morbus autem simul, ubi in cardia se fixerat, eam subvertebat et bilis ejectiones secutae sunt, cum magno cruciatu. Singultus plerisque accidit inanis, unde convulsio vehemens. Cutis externe non admodum calebat, neque erat pallida, sed rubra, livida, phlyctaenis parvis et ulceribus conspersa. Interne vero corpus flagrabat, ut stragulorum tegmenta aegri non paterentur, sed nonnisi nudum habere vellent et praecipue in aquam frigidam se injicere desiderarent multique in puteos se conjecerunt, siti insatiabili vexati: dum tamen eodem revertebat, multum an parum biberent. Accedebat huc inquies perpetuaque vigilia. Quamdiu morbus vigebat, corpus tamen non exhauriebatur, verum praeter opinionem miseriis resistebat, ita ut plurimi ipso aestu interno auferrentur, nono aut septimo die, viribus non prorsus destituti. Si tum effugissent mortem, postquam ad abdomen morbus descendit

eoque vehemens exulceratio accedit et insuper diarrhoea immoderata, permulti serius ex debilitate interempti sunt.

Ultimo memorantur partium gangraena, caecitas rerumque oblivio diciturque gravissimum signum fuisse animi desponsionem, qua pessimum eventum sibi fingentes malo non restiterunt.

Notetis, haec signa partim pertinere ad membranas mucosas: conjunctivam, oris, tracheae, pulmonum, intestinorum, partim ad cutim, partim ad sanguinis officinam, partim ad genus nervorum, ut et catarrhorum et erysipelatum et haematosium et neurosium notas ostenderet, nec mirum sit, ab aliis ad familiam λοιμοῦ, ab aliis ad typhi, ab aliis ad exanthematum gentem potuisse referri. Quodsi cum hisce conferamus nuperas Francorum observationes in Ægypto factas, videbimus etiam magnam symptomatum varietatem, nec desiderabimus exanthemata, erysipelata, gangraenas, neuroses praetereaque animadvertemus bubones (*) et anthraces, quae magis definitam monstrabant lucis inguinariae formam.

Sed operae pretium est, de his quoque quaedam subjungere, ut magis adcuratam teneamus hujus morbi notitiam.

(*) In hisce non cellulosam duntaxat, sed ipsas glandulas morbo fuisse tactas, aliter licet sentiente Larrey, docuit anatome.

Vulgo in morbi principio febris, horripilatio, horror, frigus, vertigo, incessus vacillans, stupor, oculi rubri. lacrymantes, lingua albo muco tecta, sitis, vomitus bilis, dolores lumborum, dorsi, frequens urinae limpidae excretio, alvus jam stricta, jam soluta, pervigilium, aut sopor, saepe delirium, deinde cephalalgia; pulsus primo, frigoris tempore, parvus, contractus, deinde surgebat, apparente bubone, cutisque ardebat, succedentibus symptomatibus inflammationis ventris, capitis, thoracis, nec deerant symptomata typhi: lingua varia, saepe rubra, sicca, nigra, fissa, nec raro humida; in aliis cernebantur anthraces, pustulae malignae, quandoque petechiae. Prosternebantur alii quasi syderati, aliis erumpebant bubones ad inguina, axillas praecipue, sine ullo graviori symptomate ac suppurabant aut gangraenescebant, aut resolvebantur.

Pro ratione morbi saevitiae tres discernebantur gradus. Primus: cephalalgia, febre mitiori, sub irritatione gastrica, vix ulla vomituritio, bubones suppurati, aut resoluti. Secundus gradus: bubonibus accedentes anthraces, petechiaeque subinde caet. Tertius gradus: symptomata typhoidea gravia; status nervosus vulgo cum bubonibus, carbunculis, petechiis. Quae si adtenta mente lustremus, duo stadia significare videntur: alterum invasionis: vertigo, stupor, virium prostratio; alterum renisus: ardores, aestus, viscerum capitis, ventris,

pectoris irritationes caet.; quorum prius algidum, alterum caloris febrilis adpellaverunt. Similia atque in cholera, in febribus miasmaticis, aliisve veneficiis animadverti solent; nam in tanta varietate caussarum mira est naturae sive patientis, sive renitentis simplicitas et convenientia.

Neque reticendum, memoriae prodita esse exempla morbi transeuntis in typhum inque febrem intermittentem (*). Quocirca juremerito affirmari potest, hoc tamquam typo comprehendi morborum febrilium complures species ac formas.

Si Ægyptum veterem cum Ægypto recentiori conferamus, intelligemus et veterum de Ægypti salubritate encomia et recentiorum de Ægypti insalubritate querelas. Intelligemus prophylaxin et hygieinen sacram tanto studio a rege, optimatibus et populo cultam, ut gens medicorum esse videretur: intelligemus numerosos illos ritus diaeteticos summamque munditiei curam et cadavera condiendi morem et quamplurima alia Ægyptiorum instituta, quae ex loci natura commodam habent interpretationem quaeque cum hodie negligantur, politeiam medicam sacerdotalem Ægypti veteris eo magis extollunt.

Incubationem in templis Deorum quod adtinet, videtur ea ad medicinam magicam et somnambulismum pertinere, quae tam ex psychica, quam

---

(*) Hecker, *Geschichte der neueren Heilkunde*, p. 105 sq.

ex physica conditione et hujus aetatis generis humani et hujus gentis repetenda est.

Ipsa denique therapeutice Ægyptiorum, gastrica illa, quae corpus purgando praesertim fiebat, cum ex ciborum reliquiis morbos vulgo nasci existimarent ac creber usus squillae ostendunt, et morbos gastricos et morbos hydropicos inter eos fuisse vulgares: verbo morbos primae officinae vitaeque plasticae, quales infantiae esse solent; cui aetati pariter respondent animalium cultus artisque priscae monumenta populique hieroglyphi et annales.

VARIOLAE.

Ut Lepra et Pestis ex Africa, Ægypto praesertim eique finitima Arabia, sic Variolae ex Asia, ex Imperio Sinensi et Peninsula Indiae profectae videntur. In hisce saltem regionibus a longo inde tempore cognitas fuisse, testatur inoculationis encheiresis hisce gentibus ante plura secula notissima atque usitata. Itaque Variolas Indiae pestem vocaveris, quae per Arabes in Europam traducta Ægypti pestem subsecuta est. Seculo demum sexto pandemiae sive epidemiae factae per Europam saevire inceperunt: inde in medicorum Arabum scriptis relatae uno genere cum morbillis comprehenduntur hosque Ebn Sina Variolas biliosas nuncupat. Nec tamen horum notae cum nostris mor-

billis prorsus consentiunt: quamobrem conjicit vir doctissimus QUITZMANN, seculo sexto veterum λοιμῷ in sua principia relabente exanthema catarrhale morbillorum versus septentrionem secessisse, ut biliosum variolarum versus meridiem secessit. Ipsae autem Variolae, cum non, ut Ægypti pestis, lymphaticorum genus peterent, sed systema invaderent cutaneum, ipsa natura sua characteri nosologico morborum Graeciae deinceps perscribendo erant magis adfines.

Verum priusquam in hisce perquisitionibus pergamus, haud incongruum erit, Arabum descriptiones inter se conferre.

Itaque RHAZES docet, futuras variolas praesertim indicari dolore et terrore, cum febre continua; AVICENNA praeter dolorem dorsi, pruritum nasi et terrorem in somno: vehementibus in membris punctionibus, gravitate per universum corpus, colore faciei et oculorum rubicundo, lacrymatione et ardore, frequentibus pandiculationibus oscitationibusque, cum respiratione arctata, voce rauca, sputo crasso, capitis gravitate et dolore, oris siccitate, anxietate, faucium et pectoris dolore, tremore pedis, quando resupinare vult aeger, quae omnia comitatur febris synochus. Prorumpentibus variolis primo excitari pruriginem, tum conspici qnaedam volut acuum capita, milio similia, deinde foras prodire et pure impleri, postea depleri, dehinc versicolores crustas oboriri, postremo de-

cidere. Morbillos esse quasi variolas biliosas. In plerisque nullum esse inter ipsos discrimen. Solum hoc interesse, quod morbilli sint biliosi, minorisque momenti, fere cutim non transeant, neque in altitudinem adsurgant memoratu dignam, praesertim per initia. Variolas simul atque prodeant, eminere atque in altum tolli. Praeterea morbillos esse rariores variolis minusque oculos infestare. Signa eruptorum morbillorum paene talia esse, qualia variolarum: sed in illis magis subverti ventriculum anxietatemque et dolorem esse vehementiores; dolorem vero dorsi mitiorem. Morbillos denique utplurimum confertim atque uno impetu efflorescere; variolas contra sensim unas post alias.

Hac historia docemur, quod de peste prius monuimus, initio minus discretas fuisse exanthematum febrilium formas, verum commune quoddam exortum esse exanthematis genus, quod et variolas et morbillos et scarlatinam aliaque fortasse genera complectebatur, deinceps singula magis seorsim exstitisse, expressa magis, evoluta, definita.

Interim adsentiendum Haesero, quamquam efflorescentiae morbillosae priscis medicis non prorsus ignotae fuerunt, tamen exinde nullatenus effici, cognovisse ipsos illum processum exanthematicum, qualem cognoverunt medici a seculo inde nono, oculos inprimis spirandique organa laedentem, brevi exanthema morbillosum per excellen-

tiam catarrhale, quo charactere ac forma postea prodiit et hactenus cernitur.

Verum ad variolas ut redeamus, harum varietates Arabum tempore nonnullas fuisse observatas, ipsorum testantur historiae, quas ex theoria humorum maxime explicare conati sunt, quaeque postea, ut fit, et magis definitae et magis numerosae adparuerunt, quas tamen ad eandem tribum revocare oportet, quorsum referimus cum varicellas, tum varioloides, quaeque ut per vaccinationem aliasque inserendi methodos auctae sunt, ita in posterum augebuntur, tum per has ipsas, tum per syphilides, scrofuloses, scabiem aliasque sive impetigines, sive dyscrasias, diversimode mixtas et copulatas: unde liquet, quanta difficultate prematur dermatosium per solas formas: macularum, papularum, pustularum, squamarum, bullarum, vesicularum aliarumque classificatio artificialis: quae tamdiu manca erit et imperfecta, quamdiu ad naturas et compositiones omnemque pathogeniam horum morborum mentem advertere medici negligant, ut ideo optandum foret, ut hanc partem nosographiae, i. e. historiam naturalem dermatosium, majori studio et industria colant dermatologi atque philosophiae medicae luce collustrent: cujus meliori fortuna colendae spes per methodum experimentalem rite institutam adfulget, cujusque per ipsam insertionem variolarum vaccinarum, ut prius per inoculationem variolarum verarum fac-

tum est initium. Nec dubitandum, quin per ipsam observationem sedulam plenius cognosci posset dermatosium historia, si cum iis, quae hodie cernuntur formis, antiquiores formae comparentur. Nam, quemadmodum in omni natura organica evolutio perennat, perpetuaque est ab una ad alteram metamorphosin progressio, sic suas etiam habeant oportet hae cutis efflorescentiae evolutionum periodos, a maculis ad squamas, aut papulas et pustulas, ab his ad tubercula, qualem progressionem cum alia exanthematum genera, tum antiquissima illa, Lepram volumus, monstrare ac denotare videntur.

QUAESTIONES.

I. Cur Ægyptus morborum pestilentium et contagiosorum dicitur patria, cum veteribus celebrata sit hujus regionis salubritas?

II. Quasnam febres sub communi λοιμοῦ adpellatione veteres comprehenderunt?

III. An Pestis veterum varia forma prodiit?

IV. Quare Leprae et Elephantiasis descriptiones, a singulis auctoribus editae tantopere discrepant, ut num ad idem morbi genus adtineant, dubitetur?

V. An Variolarum cum Peste ab una parte et cum Lepra a parte altera quaedam fuit cognatio: quemadmodum morbi cutanei, sive

exanthematici pestilentis ratio subindicare videretur?

VI. Quot ac quales sunt varietates Variolarum hactenus cognitae?

VII. Quid inoculatio et vaccinatio circa hoc exanthema docuerunt?

MORBI GRAECIAE.

Alteram generis humani aetatem vixerunt Graeci, quemadmodum populi cultus, ingenium, mores, morbi testantur. Hi ab HEERENO, docto historiae interprete, adpellantur semi-Orientales; quocirca non mirabimur, Orientis morbos ad eos traductos fuisse, mutata quamvis forma: alium tamen inter ipsos exstitisse characterem nosologicum et genium epidemicum, quos nunc investigare et describere oportebit, duce primum atque auctore HIPPOCRATE, medicorum HOMERO.

CAUSUS.

In Epidemiorum Libro tertio HIPPOCRATIS describitur Constitutio Pestilens sequentem in modum: » Anni tempestate austrina, calida, humida regnabant erysipelata et anginae et febres ardentes et aphthae et anthraces, alvo perturbata urinisque turbidis. In febribus autem ardentibus phreniticis observabatur jam ab initio sopor et sub

paroxysmis rerum oblivio et vocis defectio, pedibus manibusque frigidis, neque crises notabantur, nec sitis, nec delirium ferox, sed status prorsus comatosus et languidus, sub quo peribant. Praeterea grassabantur febres intermittentes, irregulares, vagae, in oedemata et hydropes terminatae. Atque cum symptomata gastrica praevalerent, omnes sive ex longis, sive ex acutis morbis aegrotantes ex ventris maxime vitio periere.

Hac graphica morbi descriptione docemur, fuisse febrem ardentem biliosam, cujus generis etiam tunc temporis phlogoses fuisse videntur. Itaque haec febris pestilens Graecorum revocanda est ad magnam morborum biliosorum tribum, cujus prototypum febrilem ob eum, quo insigniebatur, aestum, sive ardorem internum, *Causum*, id est febrem ardentem Graeci nominaverunt.

In libro de Historia Medicinae animadvertimus, *febrem* spectare pleraque tam Asclepiadarum, quam Hippocratis praesagia ipsasque, quae memorantur, phlogoses, sive phlegmasias non tam protopathicas, quam deuteropathicas fuisse: phrenitides v. c. et pleuritides et anginas, quae describuntur, fuisse febres phreniticas, pleuriticas, anginosas. Cujus reï nunc habere nos commodam intelligentiam nobis videmur, si ad hunc characterem Graecum morborum febrilium adtendamus. Nimirum inflammationes verae, germanae, protopathicae magis regionum septentrionalium sunt il-

liusque aetatis, qua organa vitalia explicantur atque abdominis capitisque visceribus praecellunt viscera thoracis. Quodsi animo ab opinionibus praejudicatis idolisque scholae libero fontes Graecos adeamus et chartas pervolvamus Hippocraticas, videbimus, juxta phlogoses positos morbos biliosos gastricos et juxta adparatum antiphlogisticum, medicinam evacuantem, antigastricam: unde perspicitur, cur adeo creber fuerit usus emeticorum et purgantium, de quibus multa exstant praecepta Hippocratis therapeutica (*) quibusque schola Cnidia fere solis uti solebat, ut justam meruerit propter hunc abusum medici Coi censuram: qui tamen abusus vel ipse testari videtur, crebram horum remediorum salubritatem medicis istis empiricis notam. Huic ratiocinio pondus accedit ex eo, quod rarior longe sit venaesectionum mentio, neque de illis, uti de purgantibus, edita sint ab Hippocrate praecepta peculiaria. Febris igitur commune fuit morborum in Graecia exemplar, ex quo postea demum prodibant phlegmasiae. Cf. *Lib. de Hist. Med.* p. 19 et 28 sq. Hinc simul perspicitur, cur tanti fecerit Hippocrates rem criticam, cur in libro de victu acutorum diaeteticam tradiderit morborum curationem, cur denique prognosticen prae diagnostice excoluerit. Nimirum si cogitemus propriam aetatis, quam vixit gens Grae-

(*) Cf. *Aphorism.* Sect. IV.

corum, rationem, pueritiae multis nominibus similem, qua magnus in corpore consensus magnaque conspiratio, ab ipso HIPPOCRATE celebrata; si cogitemus evolutum magis systema motorium validumque in oeconomia renisum ipsaque Graecorum corpora gymnastice plurimum exercitata, characterem illum febrilem morborum propriamque medicinae Graecae rationem facile explicare poterimus: explicabimus pariter frequentem spasmorum clonicorum, tonicorum apud HIPPOCRATEM mentionem et Hippocraticam acutorum prognosticen: immo hoc posito principio plerisque medicinae Hippocraticae locis nova lux exorietur.

Quemadmodum pueritia est finis infantiae, sic adolescentiae initium est. Hac aetate evolvitur systema irritabile, homo musculosus; renisus emicat vitalis. Erant Graeci pueri adulti, in quibus corporis puerilis et pulcritudo et gratiae eminebant. Vigebat quidem vita plastica, nec tamen, ut in prima aetate, dominabatur; verum cuncta ad symmetriam erant et harmoniam composita. Ad hanc corporis naturam conformatus erat animus, in quo hilaritas puerilis, pulcri amor, studium discendi cognoscendique, quod philosophia Graecis et dictum fuit et habitum, excellebant: quae Graecorum philosophia erat παιδεῖα, sive *institutio ad humanitatem.*

Neque theoria medica et pathologia praesertim humorum ab hac gentis natura atque natura mor-

borum dissentiebat, ut rerum naturae et contemplatio et observatio viderentur consonare. Similiter therapeia morborum hoc tempore magis passiva, quam activa fuit, quippe quae evacuantibus, revellentibus, derivantibus, humectantibus, nutrientibus fere continebatur; ad quam invitabant sanguinis vasorumque turbae: congestiones, haemorrhagiae, inflammationes motusque febriles et in his magna ἀυτοκρατεῖα naturae, quae plerumque sibi ipsa sufficere morbisque mederi deprehendebatur, per motus et molimina et evacuationes criticas, certo tempore statutisque legibus factas, ut minime mirum sit, in scriptis practicis vim celebrari naturae medicatricem, quae cum minus per artem et medicamenta adhibita turbaretur, liberius etiam omnem potestatem suam exserere et explicare poterat.

ERYSIPELAS.

Febrem fuisse morbi formam ac speciem, circa quam cognoscendam Asclepiadarum et HIPPOCRATIS ipsius praesagia potissimum versabantur, supra indicavimus. Necdum tamen exinde adparet, qualis tandem fuerit character morborum febrilium et phlegmasiarum in Graecia, aut quis sub hisce formis latuerit morbus princeps ac primarius. Hic autem fuisse videtur *Erysipelas.*

Profecto, si quas nobis reliquit schola Coa, observationes animo perpendamus, hunc intelligemus principem ac longe lateque dominantem in Graecia fuisse morbum, inter phlogisticum et gastricum principium oscillantem, utriusque participem, nunc in phlogisticam, inflammatoriam, nunc in gastricam, biliosam naturam magis inclinantem, prouti anni tempestas ac reliquae conditiones ferebant.

Mediae naturae erat, quae Epidemiorum primo describitur Constitutio prima et altera: phlogisticae magis, quae Statu tertio memoratur; in ea autem, quae Epidemiorum tertio Sect. II. describitur, Constitutione, magis biliosae. Hanc prius praecedenti lectione vobis proposui eaque eam ob caussam notari meretur, quoniam summo gradu characterem istum erysipelaceum obfert, quo morbi graeci insigniuntur. Atque ab hoc quidem charactere repetenda est crebra metastasium in scriptis Hippocratis animadversio, nec non parotidum et anginae et crisium per emesin et catharsin sedula observatio et urinarum, linguae, appetituum naturalium, et diligens alimenti in convalescentibus praescriptio notatusque in febricitantibus abusus.

Erat autem in erysipelate et inflammatorium et biliosum elementum ita conjunctum, ut coaluisse viderentur, postea demum sejungenda, ita ut ex hoc tamquam communi principio et fonte cum phlogoses, tum choloses proficiscerentur.

Porro monendum est, genus nervorum crebro in mali venisse societatem: tam cerebrum, quam spinae medullam; quapropter deliria, pervigilium, somnus, spasmi, convulsiones, rigores, horrores, frigora toties in his libris commemorantur; quorum praesagia interpretari oportet non tantum ex charactere nosologico morborum in Graecia, verumetiam ex corporis temperie et natura Graecorum aegrotantium, ea generis humani aetate.

Denique therapeuticen quod attinet, notetis quaeso, oxymel in pleuriticis et pneumonicis commendatum, inque melancholicis adhibitum helleborismum, purgantia sub nomine communi pharmacorum indicata ipsamque supellectilem medicam ex diaeteticis ferme et domesticis remediis compositam.

Non cessarunt interim Orientis morbi, verum ipsos quoque Graecos adorti sunt: tamen graeco tamquam colore tincti: id quod pestis Thucydidea et lepra et elephantiasis declarant et sequens Hippocratis locus, ab eruditissimo Henslero citatus, qui phthisicorum Epid. III. memoratorum morbum spectat. » Erat autem tabidorum species subalbida, lentis colorem referens, subrubrum, oculis splendentibus, leucophlegmatici, humeris alatis." Ex quibus signis conjicit Henslerus, subfuisse dyscrasiam leprosam et quidem indicari Lepram Tyriam (albam, crustosam) formam morbi Graecis magis vulgarem.

Posset etiam quaeri, utrum cum hydropica cachexia fuerit conjuncta lepra, ut in aliis cum scorbutica fuisse dicitur: an leprae quaedam, aut elephantiasis cum turberculosi cognatio. An cum scabie (huc morbum Hiobi referre videtur Hensler) an cum arthritide et podagra?

Elephantiasin Graecorum descripserunt Aretaeus et Archigenes. Illius descriptio notior: hujus adcuratior Henslero habetur. Et sane si Aretaei historiam legamus, dubitabimus nequaquam huic viro adsentiri: Aretaeum nimis indulsisse poëticis descriptionibus et comparationibus, quae Graecorum ex Asia scribendi ratio est. In Celso contra obest nimium latinitatis studium. Sic dictio elegans aut ornata in classicis saepius pulcro magis favet, quam vero.

Archigenis simplex descriptio haec est: » consequitur eos, qui obnoxii futuri malo sunt segnities, spiratio tarda, spirandi difficultas, motus difficilis, adsidua constrictio alvi, urinarum, veluti sunt jumentorum lotia, excretio, respiratio gravis et foetida, ructus continui, ipsis aegrotantibus molesti, appetitus non obtusi quidem, neque inflammati, impetus in venerem intensus. Jam vero ubi ad cutim progressus fuerit morbus, malae primum crassiores fiunt et mentum; deinde rubescunt, non florido, sed livido rubore. Et sub lingua venulae varicosae fiunt ac nigrescunt: quod signum est, etiam viscera ipsa simili in constitu-

tione esse, ejusmodi plane, quale in porcis quibusdam circa interna videtur, quae grandinis nomine insignitur. Quandoque vero et per omne corpus eminentiae adparent et praesertim juxta summam frontem et mentum. Corpus praeterea ipsornm magnum esse videtur et cujusdam intolerabilis gravitatis sensus iis adest: unde neque potu, neque cibo admodum suaviter delectantur. Pusillanimes fiunt ad omnia, neque prae vitae amore vitam relinquere et contemnere possunt, neque adfectionem ipsam generoso animo perferre, verum veluti se ipsos condemnantes, se occultant et notos homines vitant. Quidam porro ex iis ad modum eorum, qui suffocantur aut strangulantur, maxime circa somnos, adficiuntur."

» Totum corpus, sunt verba Celsi, adficitur ita, ut ossa quoque vitiari dicantur. Summa pars corporis crebras maculas crebrosque tumores habet: rubor earum paulatim in atrum colorem convertitur; summa cutis inaequaliter crassa, tenuis, dura, mollisque, quasi squamis quibusdam exasperatur; corpus emacrescit, os, surae, pedes intumescunt, ubi vetus morbus est, digiti in manibus pedibusque sub tumore conduntur; febricula oritur, quae facile tot malis obrutum hominem consumit."

Collatis autem secum invicem auctorum descriptionibus alia inveniemus signa communia, alia propria. Ad haec pertinet forma crustosa, impetigi-

nosa, psorica Graecorum, eadem quae Lepra Tyria antea notata, et Romanorum mentagra.

Pestes ab Haesero relatae quaeque ad hanc periodum pertinent: Antonina, Cyprianea, Justinianea videntur ex Pestis Orientalis et Erysipelatis graeci connubio provenisse, nunc illa, nunc hoc praevalente variasque proferente formas, ut jam luis inguinariae parum evolutae, jam variolosi exanthematis speciem haberent.

QUAESTIONES.

I. Quamobrem in scriptis Hippocraticis toties febris fit mentio?

II. Quid statuendum circa characterem nosologicum morborum acutorum in Graecia?

III Quo nomine a causo vero differt causus spurius veterum?

IV. Qualis fuit cognatio humorum pathologiae naturaeque morborum in Graecia?

V. Pestis Thucydideae, Constitutionis pestilentis apud Hippocratem cum Peste Orientis instituatur comparatio.

VI. Exponatur discrimen Leprae et Elephantiasis Graecorum a Lepra et Elephantiasi Orientalium.

MORBI CHRONICI VETERUM.

Quam schola Coa primo loco collocaverat febrem, eam studium anatomes inter veteres exortum hoc tamquam principatu orbaverat. Signum sustulerat pridem Diocles Carystius, qui, quia succedit vulneri et buboni, febrem morbi ἐπιγένημα nuncupavit (*Lib. de Hist. Med.* p. 46.) et facta inter vires et materiam distinctione theoriam et praxin humoralem limitavit (ibid. p. 47.) Hujus discipulus Chrysippus Cnidius venam secare et purgantia dare vetuit (p. 49.) et Chrysippi discipulus Erasistratus pariter et venaesectionem reprobavit et catharsin (p. 52.) inediam vero strictamque diaetam commendavit. Praeterea doctrinam de pneumate adhibuit valetudinis secundae adversaeque interpretem (p. 51 sq. l, l.) et per anatomes cultum in partes solidas organicas medicorum mentes convertit.

Juxta hanc dogmaticam medicinam, anatomes studio mirifice auctam et amplificatam, exstitit Alexandriae schola empirica, quae materiei medicae excolendae potissimam navavit operam. Atque his quidem studiis et laboribus ad morbos chronicos cognoscendos curandosque aditus patefactus est. Horum plurimi ex abdomine oriundi purgationibus curari solebant: quales fuere icterus,

hydrops, arthritis. melancholia, alii, de quibus Cff. Aretaei, Alexandri Tralliani, Caelii Aureliani scripta.

AQUAE FRIGIDAE USUS.

In morbis chronicis quantopere seriori quoque aetate character erysipelaceus praevaluerit, cum alia docent, tum quam latissime patens aquae gelidae in acutis pariter atque chronicis usus, quo Asclepiades, Antonius Musa aliique Romanorum medici magnam sibi nominis famam comparaverunt: nec non vomitoria, ab ipsis etiam pneumaticis crebro in morbis quoque vetustis usurpata. De Asclepiade Cf. *Hist. med.* p. 63. De Ant. Musa, Sueton. in vit Aug. c. 31 et c. 59. Cujus loci quoque est curatio febris crapularis per aquam frigidam, Celso notatam, in Praef. sub fin. his verbis: » ergo etiam ingeniosissimus nostri seculi medicus, quem nuper vidimus, Cassius febricitanti cuidam et magna siti affecto, cum post ebrietatem eum premi coepisse cognosceret, aquam frigidam ingessit, qua ille epota, cum vini vim miscendo fregisset, protinus febrem somno et sudore discussit."

Frigida lavari Asclepiades vehementer utile duxit et balineas avidissima hominum, notante Plinio in *Hist. Nat.*, cupidine instituit: quod de

balineis pensilibus accepit HECKERUS, eo nomine aquae frigidae affusiones (*stortbaden*) intelligens.

Nec dispar ALEXANDRI praxis: qui refrigerantibus non tantum in febribus continentibus et ardentibus et hecticis usus est et tertianis, verum in ipsis quartanis, si ab humore bilioso excitari videantur, aegro natura calido et sicco, aetate vigente et frigidae potioni assueto, aut si curae, vigiliae, tristitia, ira et acrium medicamentorum usus praecesserint. Neque seni tertiana febre laboranti refrigerantia exhibere reformidavit. Lib. XII. cap. 6. Cujus alii familiares, quod senex esset, decoctum ei bibere praecipiebant ac omnia illa facere, quae falsis tertianis idonea existunt; fereque interiisset aeger, decoctis ex hyssopo, origano et pulegio assumtis, nisi quis subito ex periculo ipsum subtraxisset, jubens eum etiam pepones assumere et lactucas et ptisanam, quae nihil curiosum habet operosumque ac omnem alium victum, qui humectaret ac refrigeraret, ut in tertiana exquisita, non deceptus aetate, quod senex esset, sed potius toto temperamento. Habuerat enim jam ab initio igneam intemperiem, quam alii propemodum omnes postea ad amussim conservabunt." Haec ille referens sequentia addidit: » ego autem neque tertianarum falsarum (quae a pituita esse credebantur: nobis catarrhales sive mucosae nuncupandae) victus rationem in omnibus ut veram et utilem commendo, quam GALENUS in libris

ad Glauconem philosophum praecipere videtur: injiciens omnino ptisanae piper, aut origanum, aut hyssopum. Etenim hujusmodi plerumque periculosa sunt et febres vehementiores accendunt: idque magis adhuc, si temperamentum corporis calidius inveniatur et pituita mitior, quam bilis: et quae non adeo calefacientia requirat. Quippe satis erit in his uti et non multum refrigerantibus et iis, quae sensim extenuare citra calorem possunt."

Cum hac praxi convenit monitum Aëtii de erysipelaceis viscerum affectibus, ab eo citatum: »quod si erysipelaceus affectus viscera urgeat, abstinendum balneo (calido) in totum, frigida autem in morbi vigore strenue utendum est. Ita nominare consuevimus, quum una vice et frigidissimam et multam dederimus. Verum ante statum frigida non utemur, nisi ab aegro, qui et frigidae potioni assueverit et sitim ferre nequeat, coacti fuerimus. Extrinsecus igitur imponi debent, quae refrigerant, et si nihil proficiunt, tunc etiam frigidam potionem dare, aut potius cibos refrigerantes oportet," Sane si haec loca, si omnem omnino veterum praxin adtente consideremus, late patentem perque omnia dominantem videbimus medicinae refrigerantis usum ac salubritatem.

ROMANORUM MORBI.

Inter Romanos praeter acutos plurimos interque eos inprimis febres intermittentes, typi varii variaeque complicationis, complures etiam chronicos morbos fuisse observatos, docent scripta methodicorum, qui ad hos potissimum animadverterunt. Haec scripta pervolventes continuo intelligemus, eos praecipue ad vitam plasticam pertinuisse: quales sunt stomachi, intestinorum, hepatis, lienis affectus: praeter hos capitis fere morbos fuisse: cephalaeam, epilepsiam, catalepsin; denique passiones nephriticas atque arthriticas.

LITHIASIS, ARTHRITIS.

Romanorum morbos, ut Graecorum, characterem habuisse erysipelaceum, supra indicavimus, eum tamen, ut opinor, magis in rheumaticum, arthriticum, calculosum proclivem, quibuscum cohaerere morbum cardiacum veterum crediderim, quem cordis rheumatismum fuisse suspicor; eique adfinem morbum calculosum, orbis dominis non minus, quam podagra, propter increscentem et invalentem luxuriem, notissimum.

Sic, quemadmodum inter Graecos erysipelata, inter Romanos rheumata, sive potius arthritides et

lithiases magis grassari observamus: quae diathesis calculoso-arthritica bene multis tam acutis, quam chronicis valetudinum generibus originem praebuisse videtur.

MEDICINA METHODICA, METASYNCRITICA.

Iisdem auctoribus percrebruit methodus alterans, quae et inedia utebatur et victu medicinisque acribus, drimyphagiam vocant, quibus cum medicinis, tum victu naturae imperare omnemque corporis habitum immutare, gestiebant. Hoc pacto ab Hippocratis medicina, naturae administra, deficiebant, ut prius defecerant empirici et deficiebant deinceps: verum hi alio prorsus modo: adhibendo nimirum formulas remediorum plurimum compositas: theriacas, antidota, alexipharmaca similiaque.

Medicina Hippocratica ad prognosticen et rem criticam prorsus composita naturam observare, imitari, sequi studebat. Contra Romani medici rem gerere, quam naturam res gerentem contemplari malebant; unde Methodus nata est, auctore Themisone, eique subjuncta metasyncrisis, quae universe chronicorum, quam acutorum curationi magis idonea est. Quiete, abstinentia, inedia in principio morborum imperatis, partim evacuantibus, partim adstringentibus, partim acribus morbos ado-

riebantur, non neglectis interim exercitiis, balneis, lotionibus, frictionibus; vinoque aut cibo, tertianariis periodis adposito. Cf. *Lib. de Hist. Med.* p. 65 sq.

Circa quam veterum praxin universe monendum est, ad varias simul partes partiumque systemata maximeque cutem direxisse medicationem.

VETERUM NEUROSES.

Quamquam complures neuroses veteribus cognitas esse constat, tamen ex maxime vulgaribus fuisse epilepsia, tetanus, mania videntur. Eas saltem cum ab aliis, tum ab Aretaeo, principe veterum diagnostico, summa arte depictas animadvertimus. In ipsarum interpretationem adhibuerunt placitum de pneumate. Nec tamen humorum vitio caruisse, curationes ostendere videntur, per sanguinis detractiones alvique superioris et inferioris purgationes, vomitoriis et catharticis remediis: quo etiam helleborismum referre oportet, melancholicorum medicinam.

Itaque veterum neuroses ad cerebrum inprimis spinaeque medullam pertinebant: quae licet vitae animalis instrumenta invaderent, vulgo tamen primam habuisse ex vita plastica, organica, aegrotante originem existimare, fas est. Rem probant comitialis morbi per vomitoria curatio atque bis re-

petitum ab ARETAEO praeceptum: in curatione melancholiae stomacho potissimum succurrendum esse; quem in finem, praeter veratrum, etiam aloën sive hiëram laudat. Epilepsiam etiam epispastico ex cantharidibus cum curaverit, suspicio moveri posset originis morbi erysipelaceae aut rheumaticae.

QUAESTIONES.

I. Anatomes studio quid profecerit diagnostice, indicetur.

II. Quo tempore quibusque auctoribus nata est morborum chronicorum doctrina?

III. Arthritis cur Romanos potissimum vexavit?

IV. Quales neuroses veterum fuisse videntur?

THERAPEUTICE GRAECORUM.

In historia therapeutices Graecorum perpetuam cernimus a therapeutice naturali, cujus in medicina Hippocratica exstat exemplar, ad therapeuticen universalem, qua ALEXANDER ille TRALLIANUS excelluit, progressionem. A febre cognoscenda curandaque initium factum. Ab hac deinceps magis magisque adcurate acutorum alii discerni, tandem morborum chronicorum doctrina condi coepit. Viguerat hactenus humorum pathologia: accessit placitum de pneumate, quo et pyretologia

aucta est et felicius explicari coeperunt neuroses. Interim communitates morborum animadvertentes medici methodici ad evacuantem methodum addiderunt roborantem huicque per metasyncrisin subjunxerunt alterantem: quae tria praecipua genera sunt indicationum, sive consiliorum medendi generalium. Ipsam medendi methodum dogmaticam, sive rationalem, adcommodate ad medicinae veterum conditionem fundaverat Galenus, methodicorum pariter atque empiricorum adversarius. Ultimo exstitit Alexander, qui per haec cuncta profecit plurimum ad condendam, ornandam summeque amplificandam therapeuticen universalem: ad quam omnis illius ars quum esset conformata, exemplo ipse suo ostendit, quantopere ille medicus caeteris antecellat, qui consilio rem gerere noverit.

Medicina practica in principio maxime praecepta diaetetica, therapeutica, chirurgica tradebat, magis ad aegrotantium curationem, quam ad morborum dignotionem spectans. Hanc artis conditionem nobis repraesentat encyclopaedia Celsiana, in quâ morbi proprie non describuntur, sed morborum describuntur atque explanantur curationes. Est medicinae practicae compendium, quod medicos artem docet, ipsis indicando, quomodo sub variis rerum conditionibus rem gerere oporteat: verbo est institutio ad artem hujusque potissimum initia ac rudimenta prima comprehendit.

3

Alia longe est ratio ARETAEI. Is scilicet non artem adumbrat, sed morborum imagines imitando reddere conatur. Ideoque picturas, sive tabulas reliquit diagnosticas, mirabili artificio factas, in quibus Graecorum pulcri studium expressum cernimus. Praelucebat anatome, quae morborum sedes partesque adfectas recludebat. Quae anatomes vis atque potestas in diagnosticen et nosologiam cum alia bene multa docent, tum praesertim quaestiones illae inter medicos veteres hoc tempore motae: de sede phrenitidis, pleuritidis aliorumque morborum ac controversiae auctorum de loco, qui patitur in iisdem, non sine animi contentione magnaque sententiarum opinionumque discrepantia agitatae, quas quaestiones et controversias ne ipsa quidem schola methodicorum, quae communia unice curare profitebatur, silentio praeterire potuit.

Jam, licet per omnem antiquitatem perennavit acutorum et chronicorum discrimen, quae medicinae primam a prognostice naturaeque medicatricis studio originem declarabat, febres ab aliis acutis diligentius discerni et singularum partium morbi investigari coeperunt, facto utplurimum a capite initio, pyretologia ad locum peculiarem relegata. Simul vero artis historia litteraria cum artis ipsius disciplina arcto vinculo juncta haecque traditione perpetua magis continuo amplificata et emendata est, sicque auctorum sententiis atque morborum

curationibus inter se collatis., variorum censuram agere et judicium interponere consueverunt.

Hâc artis conditione ALEXANDER TRALLIANUS in morbis curandis caussas inprimis respicere atque ad therapeuticen universalem artem dirigere docuit. Neque morborum nomina, aut formas, sed naturas, origines corporisque temperies respiciens in aliis sanguinem detrahebat, in aliis bilem subducebat, in aliis pituitam corrigebat atque pro corporis temperie nunc refrigerantibus, nunc calefacientibus uti solebat. Quae praxis si fortunata fuerit, ut viri fama demonstrare videtur, morbos ipsius quoque aetate plasticos fuisse magisque materiales, quam deinceps facti sunt, conjiciemus. Neuroses enim puras, primarias, ab eo vix observatas fuisse, existimare oportet. Quinimmo ipsas neuroses praesertim sive sanguine, sive aliis humoribus subtractis sanasse feliciter videtur, complures vero ex ventriculo natas observasse. Quae cum ita sint, testantur, morborum endemiorum in Graecia naturam eam fuisse, quam dixi antea, et theoriam humoralem et humoralem praxin consonasse, ut contemplatio curatioque morborum ab eadem videantur origine natae atque a naturae observatione ductae. Quodsi theoriae repugnasset naturae observatio, procul dubio brevi corruisset, neque per tot secula inter medicos Graecos et Romanos viguisset. Nam crebrius, quam vulgo putatur, medicina dogmatica medicinae empiricae

proles est. Haec igitur, uti plasticam morborum in orbe classico naturam manifestant, sic, quam in acutis adhibuit ALEXANDER, medendi methodus viguisse semper characterem acutorum erysipelaceum, probat. Ita febribus animadvertit subesse viscerum erysipelata, quae refrigerantibus et humectantibus tum cibis, tum potulentis et iis, quae exterius imponuntur, indigent. Quinimmo in chronicis etiam saepenumero his utitur et GALENUM increpat, saepius perperam calida laudantem eaque exempla, quae citat, fortunatae praxeos, maxime methodi refrigerantis salubritatem ostendunt. » Ego sane novi, inquit, aquam me frigidam alicui dedisse, qui erysipelate infestaretur, ardentique et continua febre laboraret ac vehementiam febris ex ea restinxisse eripuisseque periculo, ne ex intempestivis cataplasmatis et inunctionibus interiret, quae medici semper in omnibus solent adhibere." Lib. XII. cap. 2. p. 138.

QUAESTIONES.

I. Quae fuerunt praecipuae historiae therapeutices veterum periodi?

II. Quibus de caussis factum est, ut ultra therapeuticen universalem non progressi sint?

DE PHYSIOLOGIA VETERUM UNIVERSE.

De physiologia veterum universe expositurus nolo doctrinae physiologicae fata enarrare; quod quidem in libro de Historia Medicinae facere conatus sum; sed ex iis, quae de veterum morbis comparatione facta cum cultu, moribus omnique vitae genere collegimus, perquiram, quid de physiologia hujus aetatis generis humani statuendum sit.

Si historiam physicam generis humani cognoscere velimus, ipsam cum historia cultus conjungamus oportet, id est cum historia humanitatis. Jam vero cultus initia in Oriente quaerenda hujusque rationem nobis monumenta artis, res domestica et respublica, mores et instituta gentium orientalium ostendunt. De Ægyptiis Herodotus, de Hebraeis Litterae Sacrae nos docent: hos initio saltem fuisse gentem pastorum, illos contra agricolarum; inter hos floruisse poësin, inter illos architecturam; patriarchicam exstitisse rationem inter Hebraeos et theocraticam reipublicae formam, inter Ægyptios institutum Castarum et politeiam sacerdotalem; mores denique eos fuisse, ut, quod de Ægyptiis testatur Herodotus, magis curarent mundos esse, quam decoros magnoque studio venarentur sanitatem et secundum leges diae-

teticas omnem vitam instituere tenerentur. Cum hisce si conferamus purgationes menstruas, apud Ægyptios solennes, quarum in Historia Medicinae fit mentio, nonne docemur, morbos gastricos inprimis hoc tempore viguisse eosque, qui ad vitam plasticam pertinent: quorsum etiam lepram, elephantiasin, pestem ipsam orientalem referre oportet, ex systemate chylopoietico et lymphatico trahentes originem inque systemate cutaneo sese manifestantes.

Quemadmodum lepra et elephantiasis nobis speciem praebent morbi scrofulosi ac tuberculosi orbis veteris, summo gradu, sic pestis exemplar est dyscrasiae febrilis primordialis, pariter ad lymphaticorum genus revocandae, cujus generis quoque fuisse hydropes in Ægypto endemios opinarer eidemque caussae crebrum et perantiquum scillae usum in hac regione tribuerem. Pestis denique variolosa exemplar obfert connubii dermatoseos ac dyscrasiae contagiosae, quae quantam habeat cum organismo infantili cognationem, quotidianae experientiae testimonia indicant, ut idcirco in tribus hisce Orientis morbis specimina habeamus cachexiae, dyscrasiae et exanthematis primordialis, reliquarum tamquam generatricium atque parentum.

Alius fuit, ab Orientalibus diversus, Graecorum cultus, alii mores, alia instituta, alia reïpublicae ratio, alia artium scientiarumque conditio.

Historiam physicam hujus gentis interpretaturus

ante omnia cogito gymnastices cultum cum cultu musarum conjunctum, qui non tantum indicat cognationem cum diaetetica et hygieine Orientalium, sed hujus etiam progressionem, qualem ea aetate exspectaveris inque homine singulo observare licet. Hanc quo pretio habuerint Graeci, et aliis cognoscitur plurimis institutis et medicinae ex templis in gymnasia migratione omnique medicina gymnastica, de quâ in Historia Medicinae suo loco dixi.

Jam leprae successit erysipelas, jam λοιμον secutus est causus, jam multae prodierunt variaeque impetiginum species ipsique morbi Orientis colorem graecum traxerunt. Simul vero ex cerebri atque systematis motorii evolutione cum phrenitides, deliria, vesaniae, tum febres, convulsiones, spasmi populares maximeque vulgares facti sunt. In morbis autem valentem cernimus virium vitae renisum ac facile excitandum cerebri medullaeque spinalis consensum virtutumque motricium synergeiam, quae cuncta ac singula, scriptis medicorum graecorum confirmata, eam denotant aetatem, qua et cerebrum sensoriaque et musculi evolvi ac magis usque exerceri et perfici solent. Est pueritia aetas disciplinae, qua ad humanitatem instituitur homo, quod ita optime fiet, si homo nervosus et homo musculosus pariter crescant viresque aequent sibique suppares, aequales, aemuli existant. Ad praeclaram hanc παιδεῖαν quam eximie Graecorum vita esset composita, quis nescit, et

quid inde profecerint ipsi, tam artis graecae monumenta, statuae praecipue deorum et hominum, quam immortalia Graecorum scripta in vario doctrinarum genere omnisque inprimis philosophia graeca declarat, quae indole ipsa ac ratione sua hanc παιδεῖαν, hanc institutionem ad humanitatem, exprimit. Spirant haec omnia pulcri amorem, quem in medicorum quoque scriptis animadvertimus, quo factum est, ut non tantum prognostica Hippocratica ipsis naturae coloribus in vultu, habitu, decubitu omnique corporis positura et motione depingat varias reï fortunas, verumetiam diagnostice Aretaei morborum imagines oculis repraesentet. Annon in his depingendis magis typos et exemplaria, verbo species perfectissimas omnique numero absolutas proposuerint scriptores graeci, jure merito quaeri posset. Eaque de caussa factum esse conjicio, quod nullas aut vix ullas perscripserint aegrotantium historias, si unum excipias Hippocratem: quodque ipsius therapeutices formam cernamus teretem atque rotundam, a qua quam longe vel hodie absit, norunt periti et aequi rerum humanarum existimatores.

Romanorum naturam ad agendum aptam et fictam musculos habuisse et organa motus firma, non est quod miremur, quorum morbi non solis musculis continebantur, verum ipsos quoque tendines et articulos et ossa prehendebant atque accedente luxurie in lithiasin et arthritidem evaserunt, aut si maveli-

tis, degenerarunt, atque methodum tonicam valideque alterantem sibi vindicarunt: cum acutis febrilibus succederent chronici, febre expertes, deficiente renisu vitali, ipsis tamen neurosibus ex abdomine vitaeque plasticae organis succrescentibus inque calculosas, tophaceas concretiones, tamquam crystallisationes organicas desinentibus, a quibus ne ipsos pulmones immunes fuisse, exemplo ab ALEXANDRO TRALLIANO proposito efficitur (*); cujus ars vitae plasticae curandae adcommodata et ipsa organica potius ac plastica, quam dynamica aut aesthetica dici meretur.

QUAESTIONES.

I. Comparentur cultus Orientalium, Graecorum et Romanorum cum moribus vivendique genere et morbis, ut inde efficiatur harum gentium physiologia.

II. Quid docent veterum mania et melancholia circa characterem ipsorum psychologicum? (†)

(*) Phthisin calculosam antiquiorum medicorum recentiores esse ad conamina naturae medicatricis referendam arbitrantur Cff. *Physiologisch-pathologische Untersuchungen ueber Tuberculosis von* Dr. H. LEBERT *in* J. MÜLLERS *Archiv fur Anat. Physiol. u. wissenschäftl. Medicin* Jahrg 1844. H. III. p. 209 sq. cf. p. 289.

(†) De Lycanthropia Cf. ORIBASII *Synops.* Lib. IX. cap 10. AËTII *Tetrabibl.* II. Serm. II. cap. 11.

SUB ARABUM DOMINIO QUALE MORBORUM INGENIUM.

Ad hanc quaestionem difficile fuerit respondere: quandoquidem Arabibus non placuit, observationes medicas edere, sed veterum Graecorum et Galeni praesertim scrinia compilare. Id quomodo factum sit, breviter explicandum. Nondum inventa typographia, codices manuscriptos perquam raros fuisse, facile intelligitur. Hinc unusquisque cupiebat compendio comprehendere, quae multis in libris sparsa erant ac disjecta. Sic nata Collectanea, Pandectae, Canones, Synopses, quae vel florilegia erant, aut anthologiae ex priscis auctoribus, vel systemata medicinae, vel encheiridia medica. Ita de medicina scripserunt Oribasius, Aetius, Paulus, Johannes Actuarius et Arabum complures; dum Avicenna, tamquam alter Galenus, omnem medendi scientiam Canone suo complexus est. Eos libros pervolventes ad cognitionem morborum tunc temporis regnantium parum proficimus magisque, quae fuerit hoc tempore cognitionis medicae summa, quam quae fuerit constitutio epidemia, pandemia, discimus. Quapropter nonnisi per conjecturam hanc nobis cognitionem comparare poterimus. Quodsi reputemus, ex Arabum medicina exsulasse fere cathartica isthaec et emetica

Graecorum iisque successisse leniora eccoprotica, refrigerantia: ex Tamarindis, Cassia, Manna, aut enemata, atque a venaesectionibus pariter alienos magis fuisse Arabum medicos, denique crebro Caphura et Moscho usos esse, conjicimus, morbos minus phlogisticos, magis contra nervosos Arabum tempore fieri coepisse: quod genium epidemium aevi medii adnuntiat. Praeterea diaetae et hygieines cura, quae semper Orientalium fuerat, effecit, ut Arabum medicina esset in hunc maxime finem directa variamque amplecteretur aetatum sexuumque cum educationem, tum rationem vivendi ad ipsamque se extenderet medicinam cosmeticam, quae leprae etiam occultandae, ex ingeniosa Hensleri observatione, erat dicata.

Singulas disciplinas medicas ad hujus gentis indolem fuisse transmutatas, ostendunt prognostice in semeioticen et quidem sphygmologiam et uroscopiam conversa, materies medica in pharmaciam chymicam, artemque concinnandi formulas compositas ex graduum remediorum subtili computatione majorique studio traditae potentiarum externarum, aëris potissimum in hominem sanum et aegrum vires, non neglecta constellationum animadversione, denique forma doctrinae medicae dialectica atque scholastica partimque polemica: et scholae medicae conditae, doctorum fama et discipulorum numero splendentes; quibus cunctis aevi medii ratio scholastica significatur, quae in hujus aetatis

auctoribus, quos propter Arabes imitandi studium Arabistas compellare solent, tantopere eminet.

Aut omissa, aut saltem negligenter admodum proposita diagnostice, de aetiologia et therapeutice morborum copiose disputaverunt. Ex iis autem morbis, quorum symptomata paullo adcuratius tradiderunt, dermatoses sunt, tum chronica: lepra et elephantiasis, tum acuta: variolae, quibus etiam aphthas infantum addere oportet. Loca, quae lepram et elephantiasin spectant, collegit erud. HENSLER, *Excerpt.* p. 1 sqq. ad p. 18. l. l., cujus varias formas ac species notarunt, quas tamen subtilius, quam verius, variis humoribus peccantibus adjudicare horumque ratione discernere student. Similiter variolarum varietates tradiderunt hisque, ut vidimus, morbillos adjunxerunt, quos ex theoria humorali variolarum biliosarum nomine insignierunt.

Fuerunt universe magis solliciti in explicandis ex humoribus vitiatis morborum natalibus hisque aptandis remediis, quam in describendis morborum signis, ac stadiis. Ex urinis et pulsu vaticinia edere, quam naturae processus notare ac persequi malebant. Praesertim vero remediis inveniendis ac miscendis navabant operam, ut potius pharmaceutae essent, quam medici. Nec mirum, idcirco nos ex scriptis Arabum hactenus cognitis ad scientiam morborum eo tempore grassantium, aut characteris nosologici parum utique pro-

ficere: quandoquidem vix tradito morbi nomine, mox ad tradenda morbi auxilia properant.

Illud autem universe circa hanc epocham medicinae Arabicae observandum, initium fuisse medicinae chymiatricae hujusque per scientias physicas et mathematicas excolendae. Nam ut astronomia, mathesis, algebra Arabibus in deliciis fuerunt, hisque alchymiam, unde prodiit chymia, (similiter atque ex astrologia astronomia prodierat) adjunxerunt, sic anatomen neglexerunt, quam Graeci fundaverant. Hinc medicinae anatomicae supposita est medicina pharmaceutica; hinc minus eventus, aut symptomata morborum, quam morborum origines et caussas perscrutati sunt: in pathologia aetiologiam, in therapeutice pharmaciam inprimis excolentes, more Orientalium, rerum quarumvis origines caussasque sciscitantium: a quo scientiarum fit in homine singulo, aetate prima, initium quique cosmogonias illas ac mythologias veteres peperit: unde sciscitandi philosophandique initium factum est: dum in therapeutice quaerebant praesertim arcana morborum et longaevitatis et pulcritudinis remedia, tamquam thesauros reconditos ac latentes in terrae visceribus, qualia metalla sunt: quorum usum pharmaceuticum hisce potissimum inventum debemus.

Atque ita per Arabes ab una parte Orientis cultus cum cultu Graecorum arctius fuit conjunctus, ab altera vero parte, cum novum principium

ac fermentum quasi accederet, ex utrisque intime invicem mixtis ac fervescentibus germinavit organica PARACELSI reformatoris doctrina.

QUAESTIONES.

I. Quid significant Arabum, medio, quod dicitur, aevo, post extinctas litteras veteres, in scientias excursus?

II. An recte ipsis tribuuntur veterum doctrinas custodiendi partes?

III. Num futurorum temporum adferunt vaticinia?

IV. Frustrane lapis philosophorum ab ipsis quaesitus?

MORBI AEVO MEDIO.

Aevo medio et quidem seculo sexto, septimo, octavo et nono, per Europam saeviisse maxime variolas notarunt rerum epidemicarum scriptores Cf. HAESER I. p. 101 sqq. cumque his conjunctim morbillos. Hi tamen propria ea ac peculiari forma, qua cum oculos, tum spirandi organa adficiunt, seculo demum nono prodiisse dicuntur HAESERO l. l. p. 103. quam sententiam ipse deinde mutasse videtur, in libro nimirum de Historia Medicinae: siquidem ibi docet, diagnosin hujus efflorescentiae apud scriptores Arabes nequaquam certam

esse. Id quod locis supra a me citatis abunde probatur. Utriusque morbi praesagia potissimum a voce et respiratione peti oportere, morbillis magis, quam variolis ventriculum subverti, illos minus hisce infestos oculis esse, animadvertit Ebn Sina: quae profecto monstrant, nondum haec exanthemata ita fuisse discreta, ac fuere deinceps. Itaque, quum propter testimoniorum historicorum inopiam de morbillorum forma ac specie judicium sit difficile, illud saltem notari meretur, seculo octavo et nono catarrhos epidemicos per Italiam, Galliam et Germaniam regnasse. Hujus enim generis fuerunt febris Italica dolorque oculorum, quae germanicum populum circa Rhenum maxime graviter vexasse feruntur et pestilentia ingens, quae exercitum Carlomanni secuta est de Italia redeuntem, ita ut plurimi tussiendo spiritum exhalarent: aliisque pestis describitur, quasi febris et tussis, qua paucis mensibus magna pars Galliae hausta est quaeque prosequente quoque mortalitate per cunctas Germaniae Galliaeque gentes desaeviit Haeser p. 108. l. l. Quibus quidem catarrhis epidemicis indicari characterem epidemicum aevi medii animalem, spirandi officinae morbis expressum atque insignem, recentiorum de pathologia historica auctorum perquam verosimilis conjectura est.

IGNIS SACER, SIVE SANCTI ANTONII.

Eodem tempore sub nomine Ignis sacri, sive Ignis Sancti Antonii per nonnullas Galliae provincias saeviit gangraena epidemica, quam ad gangraenam secalinam sive ergotismum referre, nuper viris doctis placuit. Vocatur autem a medii aevi scriptoribus morbus tabificus, sive pestis quaedam phlegmatica, quae dolorum immanitate torquebat aegrotantes, ut prae dolore exclamarent dentibusque striderent, ac describitur, quasi ignis invisibilis occultus carnes consumeret et abs ossibus discerperet, cute livescente, aut nigrescente, rarius vesicas turgentes obferente, externis partibus frigentibus ac tam gelidis, ut nullo modo calescerent. Ipsae partes affectae instar carbonum nigrescentes, exesae detestabili putredine consumtae ac tamquam exustae defluebant putraeque carnis foetor aërem corrumpebat. Tandem membra dissoluta decidebant aegrique manibus et pedibus truncati mortem expetebant, malorum finem: quae tamen non secuta est, priusquam prioribus depastis artubus morbus membra vitalia invasit. Tum quasi igne interanea comburente gravissimis doloribus succumbebant, aut exesis visceribus tabescebant: alii contra absque adustionis nota extinguebantur. Quodsi convalescerent, membra prius

gelida ardebant sanatique, facie exterminata, artubus truncatis, horrendum adspicientibus praebebant spectaculum.

Ecce ignis sacri epidemici aetatis mediae speciem, ab ipsis scriptoribus coaetaneis exaratam, cujus prototypum in erysipelate HIPPOCRATIS agnovit QUITZMANNUS! Et sane sive, quae hujus auctoris hypothesis est, eductum sit pestis illius i. e. λοιμου veterum, sive productum Graeciae, sub uno hoc genere erysipelatis omnes istas species ac varietates comprehendere oportet, cui suberat vel neurophlogosis, vel status phlogistico-gastricus aut nervosus, quae pro climatis, soli, constitutionis endemicae discrepantia, impetigines, zosteres, carbunculos, ergotismum aliasve consimiles erysipelaceas procreavit, utut nomine ac forma varias, genere tamen naturaque adfines atque cognatas.

Quae cum ita sint, efficitur, characterem nosologicum hoc, de quo agitur, tempore eundem fuisse, qui fuerat prius in Graecia, erysipelaceum: accessisse tamen catarrhos epidemicos, id est in catarrhalem inclinasse, quae cum spirandi officinam tangeret, hoc ipso arctiorem cum organis vitalibus ipsisque pulmonibus cognationem significabat, facto a vita organica ad vitam animalem transitu.

MORS NIGRA.

De hoc metaschematismo si aliquis scrupulus superesset, tolli eum penitus oportet pandemia illa atrocissima, quae seculo decimo quarto, mortis nigrae nomine, omnem mundum devastavit, per Asiam, Europam et Africam saeviens. Quam quo melius cognoscamus, agite primo historiam interpretibus aequalibus tradamus, ut deinceps caussas naturamque ejus rimari possimus.

Initium fiat a descriptione Gabr. de Mussis medici Itali, qui epidemiam ante invasionem in Europam observasse videtur. Is memorat bubones sub axilla et in inguine, quos secuta est febris putrida cum dolore capitis et foetore intolerabili sputoque ex ore cruento altoque sopore: unde alii primo, alii secundo, alii deinceps interiere, die quarto, vel quinto. Liberabantur quidam febre decedente, suppuratis et evacuatis bubonibus.

Qui Constantinopoli hanc pestem vidit, Jo. Cantacuzenes, alios, refert, citissime extinctos intra horam aut primo die: hunc superantes capite adfectos, mutos, stupidos, comatosos periisse; aliis in pulmones invadens malum praecordia inflammasse et dolores acutos circa pectus adtulisse eosque sputa sanguine contacta ejecisse, spiritu tetri odoris emisso et apostases fecisse (bubones) et nigras

vesiculas et nigras petechias. Quibus abscessus sive bubones suppurabant, complures evasisse.

Sequatur historia DIONYSII SECUNDI COLLE, qui in Italia morbum observavit. » A partibus orientalibus usque, inquit, pestilentia cum sputo sanguinis et notis peripneumoniae malignae contagiosae est. Ingens ardor et febris acutissima ad quartum, raro ad septimum enecabat: sitis magna, lingua nigra et aspera, anxietas et dolor cordis, anhelitus frequens, tussis et sputamina varia, os semper apertum, deliria tumultuantia, furor, urinae turbatae et nigrae saepe conspiciebantur, excrementa atra, adusta, exanthemata nigra: anthraces et foedi bubones. Aegrotantium alii dysenterias, ulcera in toto corpore, labrorum nasique corrosionem, pedum gangraenas et alia dira tolerabantur, alii vero deliriis, siti, inquietudine infestabantur. Aër saepe nebulosus et calidus per plures annos. — Deserta provincia mortibus et cadaveribus plena: funestum undique spectaculum."

Ad Italiam quoque pertinet sequens locus MURATORI: » febris acuta subito infestabat cum sputo sanguinis vel carbunculo, vel fistulis. Et statim in primo vel secundo vel tertio die vitae terminum exspirabant; et de eis qui infirmati erant, paucissimi evaserunt. Et hoc accidit in toto orbe terrarum evidenter." Et alter PETRARCHAE: » hanc plagam excepit sanguinis profluvium inaudito genere cruciatus infinitos absumens, denique sacri

ignis adustio carnem ad usque ossa penitus conficiens: adeo, ut etiam mortuorum invadens cadavera sepulta, carnes antequam sepiliri possent, consumeret." Quae quidem varietas morbi magis ad erysipelaceas et ignem sacrum accedere videtur.

De Gallia supersunt GUIDONIS DE CAULIACO et CHALINI testimonia historica, pestem Avinionemsem spectantia. En prioris! » Incepit autem dicta mortalitas nobis in mense Januarii et duravit per septem menses. Et habuit duos modos. Primus fuit per duos menses cum febre continua et sputo sanguinis. Et isti moriebantur infra tres dies. Secundus modus fuit per residuum temporis cum febre etiam continua et apostematibus et anthracibus in exterioribus potissime in subasellis et inguinibus. Et moriebantur infra quinque dies. Et fuit tantae contagiositatis, specialiter quae fuit cum sputo sanguinis, quod non solum morando, sed etiam respiciendo unus recipiebat ab alio, in tantum, quod gentes moriebantur sine servitoribus et sepeliebantur sine sacerdotibus. Pater non visitabat filium, nec filius patrem; charitas erat mortua, spes prostrata. Omnes, qui infirmabantur, moriebantur, exceptis paucis circa finem, qui cum bubonibus maturatis evaserunt."

En alterum CHALINI, hujus aequalis ejusdemque patriae civis! » Febres septimum vix excedunt diem, servatis aut interemptis ad id tempus ae-

gris et plerumque eo ipso, quo corripiebantur, die, aut biduo, vel triduo post vita decedentibus. Cum morbus tenet, aegri nusquam possunt consistere: huc illuc in lectulo sese dimoventes ac impatienter discruciantes, vigiliis conficiuntur, vomunt, nauseant, animo linquuntur. — Quos malum adoritur, iis citra vel purgationis vim, vel sectionem venae corpus lassum torpescit, nec sanguinis missione, aut pharmaco levatur: utroque potius remedio languescens magis ideoque statim vinum sibi dari aegri postulant: quibusdam sanguis expuitur, aut naribus, alvo, mejendo rejicitur, pernicie tam subito, ut perindie vel postridie moriantur. Quidam et fere omnes deplorati somnum tam altum dormiunt, ut is excuti nequeat. Foetent omnia purgamenta corporis, sudor, alvus, sputum, halitus."

Haec utrum ad primam epidemiam pertineant, dubitat Haeser. Nam creber fuit morbi recursus ab anno 1348 usque ad annum 1382. Caeterum prima a. 1348. duplo plures interemtos quam servatos notavit, altera a. 1361. occisos tot quam superstites; tertia a. 1373. decimum quemque, quarta a. 1382. vigesimum quemque interfectum. De altera haec exstat relatio apud Muratori: » eodem anno mense Junio incepit morbus, sive mortalitas maxima in civitate et districtu Placentiae, quae duravit fere per annum et similiter fuit per totam Lombardiam. Ex qua tertia pars et ultra

gentium defecerunt. Morientibus quibusdam adparebat humor coagulatus, in modum cuticellae sub asellis, vel inguinibus et aliquibus adparebant pustulae, sive apostemata, in circuitu capitis, post aures et aliqui spuebant sanguinem putridum, quod erat pessimum signum. Et istos omnes febris acuta aliquando praecedens, aliquando succedens suffocabat infirmos, secunda vel tertia die subsequente et ex istis sic signatis valde pauci evadebant, illi praecipue, qui in inguinibus signati erant. Aposthemate vacuato sanabatur infirmus. Et talis morbus per totum mundum est dispersus."

De bubonibus autem criticis haec animadvertit Chalinus: febrim nunc esse tuberculorum symptoma, nunc illius ea. — Si febris tuberculum excitarit, duplici malo aegrum vexari. Si febris post tuberculum sequatur, bonam exspectari crisin.

Loca isthaec hactenus citata, ubi secum invicem conferamus, in eam venimus sententiam: luem fuisse, sive pestem inguinariam, pulmones gangraena ferientem ideoque hoc aevo sub specie gangraenae pulmonum, sive peripneumoniae gangraenosae in scenam prodiisse. Quod eam ob caussam factum videtur, quia genus humanum hac aetate in ea versabatur periodo, qua explicari solent spirandi instrumenta: in periodo evolutionis pulmonum, quod adolescentiae tempus est. Atque hanc quidem virorum doctorum: Heckeri, Hae-

seri, Quitzmanni hypothesin firmare videtur observatio Chalini: in regionibus frigidis, altis, montosis, flante borea, sicco et frigido coelo ex peste multorum cladem esse, incolumibus iis, qui locis depressis a borea tectis et coelo crasso ac inerti habitant. — Exitiosius autem malum fuisse sanguine abundantibus, pueris, carnosis, juvenibus, temperatis, quos innocentius aegrotaturos suspicamur. Cf. Haeser I. p. 126 in nota.

Ad hoc autem seminium naturale proprium quamplurimae accesserunt potentiae nocentes. Nimirum in morborum theoria duo discernimus genera caussarum: alterum praedisponentium, occasionalium alterum: quae non tantum in sporadicis, verum in epidemiis pariter et pandemiis discernere oportet. Mortis nigrae vero caussas istas occasionales quaerentibus nobis sese obferunt: terrae motus, explosiones vulcanicae, meteora annique tempestates insalubres, inundationes, cerealium deficiens proventus, regni vegetabilis laesam indicans valetudinem ipsaeque animalium, piscium praesertim, epidemiae: quarum omnium apud epidemiographos horum temporum reperire poteritis enumerationem et expositionem.

Eae si uno sub conspectu ponantur, nonne naturae philosophorum placito, quod et Paracelsi reformatoris fuit, favent, unum esse ingentem orbis telluris organismum, in quo, quae anorganica dicuntur, corpora cum organicis consociata con-

sentiunt quique et ipse pars est mirabilis illius systematis mundi, quod a Deo conditore secundum leges statistices, vixdum hactenus cognitas, ab Ipsoque sancitas divina sapientia regitur. In eo saltem, quem nos vocamus mundum, perpetuam esse atque continuam metamorphosium evolutionumque seriem, quae spontaneae corporum organicorum evolutioni mirifice respondet, non est, quod dubitemus. Sic mutationes in telluris visceribus in peripheriam usque, cui adhaeremus nos homunciones, pertinentes, vulcanicas illas exhalationes et explosiones efficiunt, quas pandemiis mundanis sive praecursores, sive aequales fere ac comites extitisse, mundi physici annales testantur.

In imperio Sinensi jam a. 1333. imbres et inundationes terraeque motus commemorantur, qui ab eo inde tempore, annis 1334, 1336, 1337, 1338, 1339, 1340 se invicem subsequebantur: anno 1347 demum plane pacati. Anno autem 1348 in Europa animadversi terrae motus, terraeque hiatus, nubes crassae ac multae, meteora ignea, imbres, inundationes, annonae caritas. Sic pestilentia nata, quae inprimis contagione propagabatur, cui favebant immundities, habitationum insalubritas omnisque vitae ratio incultior, semibarbara aevi medii. Cf. Haeser *Lehrb. d. Gesch. d. Med.* p. 263 sqq.

Erat igitur pandemia contagiosa, quae tanta atrocitate grassabatur, ut ex computatione Hec-

KERI quarta pars incolarum Europae hac nece perierit. Interim ecclesia plurimum opibus divitiisque augeri, superstitio ac fanatismus increscere atque in dies miserior fieri mortalium superstitum fortuna: quod flagellantes fratres atque infortunatorum Judaeorum perquisitiones et clades multaeque aequalium querelae testantur. Tantum relligio potuit suadere malorum!

Nec fortunatior hercle artis et artificum conditio. » Fuit haec pestilentia, sunt verba GUIDONIS DE CAULIACO, inutilis pro medicis et verecundosa, quia non erant ausi visitare propter timorem inficiendi. Et quando visitabant, parum faciebant et nihil lucrabantur. Omnes enim, qui infirmabantur, moriebantur, exceptis paucis circa finem, qui cum bubonibus maturatis evaserunt."

Caeterum eo nomine laudandi medici, quod naturam morbi contagiosam agnoscerent, saltem ex illis excellentiores. Quo spectant haec verba CHALINI: » hoc itaque modo fit, ut unius accessu in totam familiam, modo civitatem, modo villam pestis invehatur" et quae sequuntur: » morbos omnes pestilentes esse contagiosos, audacter ego pronuntio atque assevero. Idemque de artis impotentia in summo gradu: curationem omnem respuit pestis confirmata, animadvertit.

Inter prophylactica fugam commendabant medici et venaesectiones, purgationes, cardiaca. Simul aegrotantibus detrahebant sanguinem venenatum;

simul theriaca, bolo armeniaco, potionibus cardiacis, acidisque levioribus sanguinem corrigere atque epithematibus et emplastris emollientibus bubones maturare tentabant. Quae methodus, monente HAESERO, forsitan pluribus exitio fuit, quam ipse morbus: ut PETRARCHAE de medicis et medicorum arte querelas nequaquam miremur. Nolite tamen putare, omnes pari ratione artem fecisse. Nam de CHALINO novimus, damnasse venaesectionem hancque ex praeceptis therapeutices universalis admisisse duntaxat in curandis aulicis pontificis maximi et clericis, qui sacerdotiorum et cultus divini praetextu genio plus satis indulgent et obsequuntur ac Christum speciosis titulis ementientes, Epicurum imitantur. » Itaque, inquit, vena incidenda minime est, nec in omnibus sine discrimine, quod percussoris est lavistae, aut gladiatoris, non medici. Sanguis auferendus est pro modo plenitudinis, quamvis sanatos plures, quibus vena minime pertusa fuerat, quam quibus pertusa, viderim." Quae viri verba seculo XIV. ob animi candorem ac libertatem notatu perquam digna censet HECKERUS l. l. pag. 90.

Post epidemiam gravissimam plures sequentibus annis ortae paullo leniores, ab anno nimirum 1348 ad annum 1360, quo omni tempore saeviisse mortem nigram, nonnulli auctores arbitrantur. Denuo autem pestes erupisse a. 1361, 1369, 1372 et 1382, annales chronicorum referunt: quae semper

symptomatibus atque atrocitate mortem nigram aemulabantur. De epidemia a. 1361 MURATORI notavit inter mala signa sputum sanguinis et de peste a. 1382 originem et aetiologiam perstringens scribit: » ex neutra caussa, nec aliunde, quam contagione malo transeunte.

CONSECTARIA.

I. Duplex fuit mortis nigrae principium: pestis, sive lues inguinaria alterum, alterum gangraena pulmonum.

II. Caussae illius positae videntur cum in vita generis humani hâc aetate, tum in magnis orbis telluris atque atmosphaerae mutationibus.

III. Sequelae tam morales, quam physicae fuere gravissimae, ut per hanc epidemiam tamquam ad novam vitam instauratum videatur genus humanum, aut potius nova orta sit vitae cum physicae, tum psychicae epocha.

CHOREA EPIDEMICA.

Non ita diu post, eodem scil. seculo XIV, quum e tot tantisque malis nondum emerserat genus mortalium, nova exsurgit pandemiae species, sancti Johannis aut sancti Viti choream vocant morbis-

que daemoniacis adnumerant aequales; quam primo adumbrare, deinde interpretari conabimur.

Anno 1384 (sunt verba Jo. Pistorii Rerum familiarumque Belgicarum Chronic. magn.) tempore pontificatus venerabilis domini Joannis de Arckel episcopi Leodiensis in mense Julio in crastino divisionis Apostolorum visi sunt dansatores scilicet chorisantes, qui postea venerunt Trajectum, Leodium, Tungrim et alia loca istarum partium in mense Septembri. Et coepit haec daemoniaca pestis vexare in dictis locis et circumvicinis masculos et foeminas maxime pauperes et levis opinionis ad magnum omnium terrorem: pauci clericorum vel divitum sunt vexati. Serta in capitibus gestabant, circa ventrem mappa cum baculo se stringebant circa umbilicum, ubi post saltationem cadentes nimium torquebantur et ne creparentur pedibus conculcabantur, vel contra creporem cum baculo ad mappam duriter se ligabant, vel cum pugno se trudi faciebant; rostra calceorum aliqui clamabant se abhorrere, unde in Leodio fieri tunc vetabantur. Ecclesias chorisando occupabant et crescebant numerose de mense Septembri et Octobri, processiones fiebant ubique, litaniae et messae speciales. — Haec pestis intra annum satis invaluit, sed postea per tres aut quatuor annos prorsus cessavit.

Cum his consentit relatio Petri de Herentals, ut prior, citata ab Heckero *Anhang* pag. 83 sq.

»Eo tempore mira secta tam virorum quam mulierum venit Aquisgrani de partibus Alamanniae et adscendit usque Hanoniam sive Franciam, cujus talis fuit conditio. Nam homines utriusque sexus illudebantur a daemonio taliter, quod tam in domibus, quam in plateis et in ecclesiis se invicem manibus tenentes chorizabant et in altum saltabant ac quaedam nomina daemoniorum nominabant, videlicet Friskes et similia, nullam cognitionem in hujusmodi chorizatione, nec verecundiam sui propter adstantes populos habentes. Et in fine hujus chorizationis in tantum circa pectoralia torquebantur, quod nisi mappulis lineis a suis amicis per medium ventris fortiter stringerentur, quasi furiosi clamabant, se mori. Hi vero in Leodio per conjurationes sumptas de illis, quae in catechismo ante baptismum fiunt, a daemonio liberabantur, et sanati dicebant, quod videbatur eis, quod in hora hujus chorisationis erant in fluvio sanguinis et propterea sic in altum saltabant. Vulgus autem apud Leodium dicebat, quod hujusmodi plaga populo contigisset eo, quod populus male baptizatus erat, maxime a presbyteribus suas tenentibus concubinas. Et propter hoc proposuerat vulgus, insurgere in clerum, eos occidendo et bona eorum diripiendo, nisi Deus de remedio providisset per conjurationes praedictas. Quo viso cessavit tempestas vulgi taliter, quod clerus multo plus a populo fuit honoratus. De ista autem cho-

rizatione seu secta talia extant rigmata:

Oritur in seculo nova quaedam secta,
In gestis aut in speculo visa plus nec lecta:
Populus tripudiat nimium saltando.
Se unus alteri sociat leviter clamando.
Frisch Friskes cum gaudio clamat uterque sexus
Cunctus manutergio et baculo connexus.
Capite fert pelleum desuper certum.
Cernit Mariae filium et coelum apertum.
Deorsum prosternitur. Dudum fit ululatus.
Calcato ventre cernitur statim liberatus.
Vagatur loca varia pompose vivendo.
Mendicat necessaria propriis parcendo.
Spernit videre rubea et personam flentem.
Ad fidei contraria erigit hic gens mentem.
Noctis sub umbraculo ista perpetravit.
Cum naturali baculo subtus se calcavit.
Clerum habet otio. Non curat sacramenta.
Post sunt in Leodio remedia inventa.
Hanc nam fraudem qua suggessit sathan est
convictus.
Conjuratus evanescit. Hinc sit Christus bene-
dictus.

Hujus quoque loci est sequens relatio Bzovii *Annal. Eclesiast.* ad a. 1374. » Quo etiam anno, scilicet 1374, in inferiore Germania maniaca passio (quam S. Johannis choream adpellant) multos homines infecit. Haec viros et mulieres, juvenes et virgines, profugos et insanos ex patria et cog-

natione ejecit, qui primum in terra cadentes spumabant, postea surgentes usque ad defectionem saltabant, donec fortissima ligatura ab aliis stringerentur. Ex ea occasione multae deceptiones fiebant. Nam plures ut vel pecuniam mendicando perciperent, vel luxuriem suam explerent liberius, morbum fingebant."

Ex hisce autem relationibus efficitur, universe quidem eandem fuisse sibique similem morbi formam: nec defuisse tamen morbi varietates, ut subinde ab epileptico insultu exordium sumeret, quemadmodum ex Bzovii relatione cernitur, quae ultimo loco prolata est. Utrum vero proprio nomine dici possit vel hysterica passio, vel somnambulismus, ut nonnullis placuit, difficile judicatu est. Nam primo tam viros, quam feminas prehendit, tum non prorsus conscientiae fuit abolitio, cum eorum, quae gesserant, memores essent, quorum prius hysterismo, posterius somnambulismo contrarium est. Illud verosimilius, comparandam esse hanc neurosin cum ea, quae pubertatis tempore, tamquam evolutionis systematis genitalis potissimum turba, mille formis ludit atque nunc epilepsiae, nunc hysteriae, nunc somnabulismi, nunc choreae S. Viti, qualis hodie cernitur similior, in genere nervorum sedem habet et originem.

Cum chorea epidemica tam miram puerorum peregrinationem in Germania et Gallia memoriae

proditam, quam tarantismum in Italia populantem viri docti comparaverunt: de quibus igitur breviter referre oportet. Prior anno fere 1212 ex Germania pariterque ex Gallia, de quibus duo citantur testimonia, alterum THOMAE DE CHAMPRÉ: qui vidimus, inquit, anno ab incarn. D[i] 1213 infinitam puerorum multitudinem spiritu deceptionis arreptos cum signaculo crucis iter Hierosolymitanum aggressos fuisse periisseque diversis in locis: et maximam ex iis multitudinem per maleficos quosdam Sarracenis in mari venditos extitisse; alterum BACONIS DE VERULAMIO, qui *Op. Maj.*:" forsan vidistis, scribit, aut audivistis pro certo, quod pueri de regno Franciae semel occurrebant in infinita multitudine post quendam malignum hominem, ita quod nec a patribus, nec a matribus, nec ab amicis poterant detineri et positi sunt in navibus et Sarracenis venditi et non sunt adhuc LXIV annis." Suppar citatur ab HECKERO (l. l. pag. 14.) testimonium puerorum in Germania peregrinantium a. 1237 alteraque memoratur peregrinatio puerorum subito concitatorum ad S. Michaëlem in Normandia Galliae a. 1458. Quae peregrinationes, quamquam prior belli sacri memoriam revocat, ad somnambulismum pertinere creduntur morbusque evolutionis, quales pubertatem subinde praenuntiant, a nonnullis pathologiae historicae auctoribus habentur. Quae comparatio mihi ingeniosior, quam verior videtur nimisque e lon-

ginquo petita: quamquam non infitior, in ipsis hisce peregrinationibus manifestari erethismum nervorum, his temporibus longe lateque dominantem.

Arctior vero cognatio tarantismo Italorum cum chorea epidemica fuit, qui utut araneae veneno adscribitur, potiori jure ex seminio hâc aetate epidemico, quam ex tali potentia nocente repeti potest.

Nimirum araneae species est in Apulia vulgaris, cujus morsu venenum in venas infundi credebant, quod, nisi saltando, e corpore expelli posse negabant; quapropter per cantum et sonos ad choream invitabantur aegroti.

Prima de hoc morbo relatio est viri litterati Nicolai Perotti: » est et alius stellio, scribit, ex aranearum genere, qui simili modo ascalabotes a Graecis dicitur et colotes et galeotes, lentiginosus in cavernulis dehiscentibus, per aestum terrae habitans. Hic majorum nostrorum temporibus in Italia visus non fuit, nunc frequens in Apulia visitur. Aliquando etiam in Tarquinensi et Corniculano agro et vulgo similiter tarantula vocatur. Morsus ejus perraro interimit hominem, semistupidum tamen facit et varie adficit, tarantulam vulgo adpellant. Quidam cantu audito, aut sono ita excitantur, ut pleni laetitia et semper ridentes saltent, nec nisi defatigati et semineces desistant. Alii semper flentes, quasi desiderio suorum miserabilem vitam agant. Alii visa muliere

libidinis statim ardore incensi veluti furentes in eam prosiliant. Quidam ridendo, quidam flendo moriantur."

Haec Italorum epidemia choreae epidemicae superstes Georgii Baglivii aetate adhuc adeo vulgaris erat, ut ab eo singulari dissertatione sit explanata, etsi ipse non dubitaverit scribere, multa tarantatorum symptomata ex depravata imaginatione pendere ac desinere demum in melancholiam sui generis, eo usque aegrorum cervicibus imminentem, donec vel saltatione, vel musica, vel aetatis mutatione virulenti characteres e sanguine et fluido nervorum penitus eliminentur. Adsertum hoc, sic pergit, innumera confirmant symptomata, depravatae phantasiae naturam redolentia: multi namque ex tarantatis sepulchra et solitaria loca desiderant, in feretro mortuorum se extendunt, tamquam mortui. In puteum seu desperati se projiciunt. Virgines et mulieres caeteroquin honestae, solutis verecundiae habenis, vehementer suspirant, ululant, indecore moventur, partes obscoenos patefaciunt, motum pensilem amant etc. nonnulli volutantur in limo tamquam sues et volutatione hac summopere delectantur. Alii verberibus caedi desiderant in ano, calcaneis, pedibus, dorso. Alii cursu magnam sentiunt utilitatem. De colore curiosa quoque observantur. Tarantati namque his coloribus delectantur, alii contra graviter adficiuntur et pro vario depravatio-

nis phantasiae gradu alternatim variis rerum coloribus recreantur et adfliguntur.

(*) Generaliter loquendo symptomata tarantatorum primo veneni insultu similia sunt iis, quae in maligna febre ex coagulatione observari solent, qualia sunt: angor cordis, spirandi difficultas, omnimoda fere pulsus oppressio, animalium vitaliumque actionum repentina ac paene fatalis jactura. Horum omnium testis oculatus est optimus parens meus isque apud Lycienses in Apulia medicus, ut

---

(*) De tarantula in prima editione Regni Animalis haec refert Ill. Cuvier: » La tarentule ainsi nommée de la ville de Tarente en Italie, aux environs de laquelle elle est commune, jouit d'une grande célébrité. Dans l'opinion du peuple, son venin produit des accidens très graves, suivis même souvent de la mort, ou le *tarentisme*, et qu'on ne peut dissiper que par le secours de la musique et de la danse. Les personnes éclairées et judicieuses pensent, qu'il est plus nécessaire de combattre les terreurs de l'imagination, que les effets de ce venin, et la médécine, au sur plus, offre d'autres moyens curatifs (Tom. III. pag. 97 sq.) Et in ed. alt. circa morsum aranearum majorum notatur, gravem eo concitatum fuisse accessum febrilem in homine atque interdum intulisse necem: quibus praemonitis haec adduntur: » l'on peut donc, sans adopter toutes les fables, que Baglivi et d'autres ont debitées sur le compte de la tarentule, se méfier, sur tout dans les pays chauds, de la piqûre des aranéïdes et particulièrement des grosses espéces." (Cf. Lycosa Tarentula pl. 13. Arachnides). Caeterum quae in curatione reprehenduntur priori loco et in Baglivio loco altero, ea supra monitis emendare, si lubet, poteritis.

omnibus constat, celeberrimus. Ille igitur tribus in aegris rure Lucium advectis, non multis abhinc annis, observavit, quod cum tales aegroti maligna febre ex coagulatione laborassent et multa in illis adparerent symptomata tarantatorum symptomatis multum analoga, parentes judicarint a tarantula demorsos fuisse (repugnante interim summopere optimo sene parente meo, qui morbum revera esse malignam febrem ex coagulatione adserebat) et ideo adveniente musica choream et saltationem inchoarint patientes, jussu et hortatu parentum: ex iis duo saltando mortem accelerarunt, tertius vero in ipso chorearum actu expiravit: exinde deducimus, malignam febrem ex coagulatione imponere saepissime medicis sub specie veneni tarantulini (*).

Quod autem ipse Baglivius nervosam mali naturam bene perspexerit, haec ejus testantur verba: siquid judicare valeo, crederem, venenum tarantulinum praecipuam sedem figere in liquido nerveo, sive in spiritibus animalibus: siquidem continui dolores capitis, animi deliquia, dolores ossium, impotentia ad motum, ventriculi dolores, cordis oppressiones et reliqua hujus generis symptomata morbosam spirituum naturam abunde pa-

(*) Apud Finke *Medicin. Geogr.* II. pag. 508 sq. in Russia meridionali in Junio et Julio tarantulam esse, cujus morsus metuunt Cosacci, relatum legimus.

tefaciunt. — Notatu quoque dignum est, multas mulieres ex nostratibus chlorosi laborantes eadem fere pati symptomata, quae tarantati et quoniam pro tarantatis habitae sunt, consueto more singulis annis saltarunt et per saltationes a chlorosi diuturnisque hysteriis immunes omnino evaserunt. Nec reticendum hic erit, mulieres, quarum inter tarantatos pars magna est, morbum hunc frequenter simulare, ut opportuna hac musices occasione solis tarantatis permissa utantur (et cum maxime grata sit haec chorea mulieribus, cessit apud nostrates in adagium: il Carnevaletto delle Donne). Et de curatione hac ipsa per musicen et choream: » tarantati diversis sonorum generibus ad saltandum excitantur delectanturque et particulari etiam instrumento, alii scilicet fistula pastorali, alii tympano parvo, cythara, fidibus et tibicinibus varii generis. Hinc curiosum est observare, quod cytharoedi interdum, quamvis tria vel quatuor diversa sonorum genera efformaverint, ab iis tamen patientes ne minimum ad saltationes moventur, dum vero aliud efformant a praefatis diversum et ipsorum veneno forsan adcommodatum, statim ad illum suspirant et saltare vehementer incipiunt. Hoc tamen unum verum est, patientes licet suo quique delectentur sono, omnes tamen velocissima sonorum modulamina desiderare (quae sonorum velocitas vulgo dicitur tarantella). Ideo cytharoedi horum non ignari faciliter mulierum fucum solent

manifestare; nam si viderint, mulierem ad quoscunque sonorum concentus veloces, aut tardos et similes alios statim, imo et indiscriminatim saltare, dicunt, eam non vere esse tarantatam, uti postea experientia certum comperitur."

Hactenus BAGLIVIUS; quocum conferendus est HECKERUS, in sua monographia pag. 43 sqq. idemque BAGLIVIUS alio loco: » mirum quoque est, inquit, quod rudes puellae et inculti rusticantes, qui unquam ne viderunt quidem nobiliora musices instrumenta, saltationis tamen tempore tam periti evadant dissonantiarum et consonantiarum artifices et censores."

Methodi salubritatem sequentibus indicat: » a tarantula demorsi paullo post humi concidunt semimortui, cum totali virium et sensuum jactura, difficulter quandoque spirant, quandoque luctuose suspirant, frequenter tamen immobiles jacent ac velut exanimes. Inchoato musices sono sensim mitescere incipiunt symptomata ante dicta, aeger digitos, manus, mox pedes movere incipit et successive caetera membra crescenteque sonorum modulamine, motus ipse membrorum augetur et si patiens humi jacet, vehementissime in pedes elevatur, saltationes inchoat, suspirat et modis fere admirandis contorquetur; vehementes has ac primas saltationes pluribus horis, sed frequenter duabus, tribus horis continuat, postquam vero paululum quieverit in lecto ad sudo-

res abstergendos viresque reficiendas, eadem vehementia saltationes redintegrat et facta computatione duodecim fere horas quotidie impendit in saltationibus vicissim institutis. Et quod mirum est, non solum a vehementibus hisce saltationum laboribus lassitudinem, aut debilitatem aliquam non sentiunt patientes, sed exinde, ut ajunt, agiliores fortioresque evadunt.

Solet postquam tres aut quatuor dies sic saltando transegerunt, morbus silere: sequenti anno eodem, quo inceperat prius, tempore recrudescere, unde qui prompti non sunt in avertendo morbi insultu per consuetas choreas, ipsos paroxysmus derepente ingruens praeoccupat, ideo ubicunque reperiantur, concidunt veluti apoplectici, aphoni, cum denigratione faciei et extremorum caet. De quibus omnibus admoniti parentes statim cytharoedos vocant, ut sonos inchoent, quibus auditis sensim resipiscit patiens, primo manus, mox pedes, dein reliquum corpus movet; in pedes erigitur et saltationes consueto more absolvit. Si opportuno tempore non saltaverit sudoresque hoc pacto evocaverit patiens, toto illo anno miserrime discruciatur inappetentia, colore cutis icterico, lassitudine universali, quae magis magisque ingravescunt, si annis sequentibus ne quidem saltaverit: donec tandem in cachexiam, hydropem et morbos incurabiles incidat."

Haec hactenus circa tarantismum monita cum-

que iis, quae de chorea epidemica adnotavimus, comparata, nonne significare videntur, regnasse hac aetate neurosin epidemicam, periodicam, cujus prima erat in nervis vitae vegetativae origo quaeque cum in medullam spinalem omneque systema motorium traduceretur, ibi symptomata reflectionis, quae dicuntur hodie, excitabat motibusque fortissimis turbatum inter varias regni nervosi provincias aequilibrium redintegrare nitebatur.

In epilepsia, eclampsia, hysterismo, somnambalismo suppares notamus motus ejusdem fere significationis, qui ubi vi cohibeantur, aut supprimantur, gravissimas anxietates, angores aliasque noxasque provocant. Choream autem epidemicam et tarantismum non facile quis ad unam speciem neuroseos revocaret unoque nomine compellaret. Nam subinde comatis, subinde erethismi formam induebat, jam epilepsiae, jam eclampsiae, aut hysterismo, jam somnambulismo adfinior. Qua de re animadvertendum est, quod de caeteris primaevis morborum formis supra saepius animadvertendi et locus et tempus fuit: initio veluti in germine aut typo primordiali plures comprehendi formas, deinceps excludendas et explicandas, donec tandem in definitam maxime ac circumscriptam speciem, qualis hodierna chorea sancti Viti est, desinat. Illud tamen omnibus ac singulis commune subest principium, quod cum nisu plastico aut for-

mativo, quem vocant, corporisque evolutione maximeque illa metamorphosi cohaereat, quae pubertatis dicitur, quae profecto quamvis adparatum generandi proxime tangat hominemque ad generis procreationem aptum reddat, tamen hoc solo munere minime continetur, sed per universam oeconomiam longe lateque sese extendit omnemque organismum instaurat: quemadmodum ostendunt gravissimae ac pertinacissimae valetudines ipseque morbus herculeus per hanc metamorphosin sanatae.

Atque hoc quidem sensu non inepta fortasse conjectura foret, choream epidemicam huicque cognatum tarantismum fuisse morbos evolutionis criticos generis humani adolescentis atque pubescentis, qui exantlatis aetatis mediae laboribus tempora renatarum litterarum renatique cultus ac juventutis florentis praenotarunt.

QUAESTIONES.

I. An jure choream sancti Viti cum lycanthropia veterum comparaverunt?

II. Nonne per choreae epidemicae historiam neurosium complurium, praecipue earum, quae puberes prehendunt, medendi methodus plurimum proficere posset?

MORBI ORBIS NOVI. — SYPHILIS.

1488—1494.

Bello sacro Orientis morbos ac lepram inprimis perquam vulgarem in Europa factam esse, multa testimonia historica docent. Accessit stupenda libido, qua topica genitalium vitia mirum in modum increverunt. Atque hoc tempore nova exorta est lues, quam alii medicorum leprae, variolis alii adfinem habuerunt, tametsi novum esse mali genus hominum vulgo visum sit.

Ex primis scriptoribus de hoc morbo fuit Conr. Schellig, qui vocat pustulas malas contagiosas, in cute ambulantes, cum ardore, punctura, virulentia foetida, dolore capitis, dedolatione membrorum, sudoribus copiosis, foetidis, somno gravi, multisque vigiliis.

Nec dispar Marc. Cumani, medici Itali castrensis testimonium est. »Vidi, inquit, armigeros pati plures pustulas in facie et per totum corpus et incipientes communiter sub praeputio, vel extra praeputium, sicut granum milii, aut super balanum cum aliquali pruritu patientis. Aliquando incipiebat pustula una in modum vesiculae parvae sine dolore, sed cum pruritu. Fricabant et inde exulcerabantur, tamquam formica corrosiva et post

aliquot dies incurrebant in angustiis propter dolores in brachiis, cruribus, pedibus, cum pustulis magnis. Omnes periti medici cum difficultate curabant. Ego cum flebotomia in saphena, aliquando in basilica procedebam, cum digerentibus, purgantibus, tandem inunctionibus in locis necessariis. Durabant pustulae super personam tamquam leprosam variolosam per annum et plus sine medicis."

Copiosius vero descripsit Petrus Pinctor Hispanus, hunc in modum. » In principio adparitionis sunt pustulae parvae in cute exteriori membrorum, sicut punctura acuum, praecipue in mento et balano virgae hominis et in pellicula vulvae mulieris, quandoque in cute capitis et frontis, quandoque in aliis membris, rarissime in omnibus simul. Postea dictae puncturae acuum crescunt, ut lentes parvae et utplurimum ut lentes magnae: in aliquibus vero augmentantur in quantitate karlini, multoties ut vola manus et amplius. Ipsae pustulae sunt valde siccae cum paucissima puris humiditate ut in pluribus; in aliquibus vero major quantitas puris emanat; in aliquibus remanent siccae et furfures. Demum eis accedit aliud accidens acerrimum, scilicet dolores acutissimi, permaxime in tibiis et brachiis. Non sunt continue, nec acutissime affligentes, licet continuus remaneat dolor: dolor vero est intolerabilis. Adpetitus non est debilitatus, nec corruptus: imo plures eorum habent

adpetitum fortem, declinantem ad adpetitum caninum. Aluhumata (hoc nomine nuncupat) est magis elevata supra cutem et majoris quantitatis continuae quam variolae. Sed Aluhumata est rara, spatium notabile ponens inter pustulam et pustulam. Semper sunt latae formae sive figurae, quia nunquam perveniunt ad figuram rotundam.

Erat autem quaedam dolorum et pustularum vicissitudo. Pustulis enim multiplicatis, dolor tollitur, illis vero sublatis, hic validior reperitur. Quapropter Tani, morbi testis, aliquid critici subesse ratus est et Almenar, alius de morbo scriptor: habentes pustulas eminentes multas et dolores paucos facilius curari, quam qui opposito modo se habent et qui nodos habent, qui gummi vulgariter adpellantur, difficilius caeteris curari, observavit.

Quae initio sub morbi cutanei specie adparebat lues, deinceps alia forma prodiit. Id quod Langius, Fracastorius, Crato, alii notaverunt. Fracastorii locum, a me citatum, videre, si placet, poteritis in *libro altero de Arte Medica.* Langius autem scribit: » foeda atrocis morbi ulcera rariora et pauciores pustulae conspiciuntur, quibus in principio tota corporis moles scatebat et materia doloris in pustulas insumebatur et ideo nec tam saevis doloribus aegrotos adfligebat. At modo constat, quod omnis sane contagio, quanto plus a prima origine distat, tanto illius seminaria ex adustione fieri sicciora, quo fit, ut non adeo confertim

morbi hujus materia ad ambitum corporis expellatur, sed circa lacertos, illorum tendines, pericranium et ossium panniculos resideat et in tophos quasi coalescat. Unde circa ossa et ex gypseo lentae pituitae mucore fungi tam tenaces innascuntur, quos novacula excisos unguibus discerpere non potui. Haec sane callosa ossium apostemata recta nominis analogia quispiam tubera appellabit."

Auctore CRATONE signa morbi incipientis sunt: lassitudo universi corporis, dolor vagus in juncturis, pallor, praesertim circa oculum quasi circulus pallidus, sicut in mulieribus, quae menstruis laborant, color rubeus in volis manuum, pigritia et somnolentia, moeror quasi in adfectione hypochondriaca, in quibusdam levis febricula, ulcera et caries in pudendo, bubones, lotia crassa et adusta. Signa vero morbi confirmati: post defluvium capillorum crustacea ulcuscula in facie ad radices pilorum, in pudendis ulcera dura, pustulae nigrae, raucedo, tumores, dolores capitis, noctu vehementissimi.

Itaque, quae primum cutim invadebat, variolarum adinstar, deinde leprae similior alopeciam fecit, tandem arthritidum more (*), textum fibrosum et ossa prehendit, quae cutis et mucosae lac-

(*) Not. in principio morbi ab auctoribus saepius memorari articulorum, sive juncturarum adfectiones.

sionum cum fibrosarum et ossium aegritudinibus vicissitudo jam in ipso luis principio animadversa est: neque ab lepra abest, siquidem de hoc morbo cutaneo auctores in cutis efflorescentia subinde aliquid critici videntur spectati: quemadmodum rerum testimoniis ostendit classicus de lepra in Occidente scriptor HENSLERUS.

Post eruditas virorum doctorum de vitiis genitalium in orbe veteri lucubrationes constat, quae syphilidi adscribi solent mala topica, nec nova esse, neque praetervisa: quare neque immerito quaeritur, quo tandem modo intelligi debeant morbi gallici, qui dicitur, exeunte seculo decimo quinto natalia. Constellationes accusabant ac peccata mortalium aequales. Quas profecto caussas equidem negare non ausim. Nam et constitutio pandemia et venus volgivaga mirifice tunc temporis in generis nostri perniciem conspirabant: neque excludo mercurii abusum, id est medicorum et medicastrorum temeritatem, qui cutis scabiem mercurio extinguere cupientes et novam humoribus induxerunt dyscrasiam et ad interna corporis penetralia relegato malo systema fibrosum et ossium corruperunt: quo facto ex dyscrasia cachexia nata est inque corpore suscitata putredo, cui plura foedissimae luis symptomata adscribere oportet: oris foetorem, salivationem, dentium lapsum, sudores colliquativos, ulcera, cariem, gangraenam. Quae hydrargyrosis eo nocentior tunc fuit, quo major in scorbutum ex

dominante constitutione proclivitas. Sed vel haec omnia si concedamus, inde tamen nondum intelligitur, cur hac aetate nata sit tanta mali saevities. Quocirca res paullo altius repetenda videtur et quidem ex ipsa generis humani vita hujusque hoc tempore epocha.

Scilicet tam morte nigra, quam chorea epidemica significatur, generis humani vitam aevo medio novum ingressum esse stadium evolutionis inque nova versari metamorphosi ea, quae in homine singulo pubertatis periodo congruit, quâ tam spirandi, quam generandi sese explicant instrumenta. Illud a pluribus historiae morborum interpretibus subindicatum est, nullus tamen melius, me quidem judice, perspexit Quitzmanno, cujus agite sententiam breviter exponamus. Novum atque inauditum, sic disputat, quod sub finem seculi decimi quinti natam luem insignivit nequaquam continetur foedis quibusdam et obscoenis affectionibus, verum ea serie symptomatum primariorum et secundariorum, qua nova exstitit morbi species ex elementis pridem cognitis, nunc demum aliter compositis atque ordinatis. Igitur ea solvenda quaestio est: quibus de caussis factum sit, ut per novam illam elementorum compositionem iste metaschematismus evenerit, aut aliis verbis, quo pacto ex lepra nata sit syphilis.

Quicunque hoc problema solvere conati sunt, externas praesertim conditiones, tamquam data et

postulata, sibi sumpserunt explicandas. Ad caussas vero internas, in ipso organismo positas atque ex organismo prodeuntes, animadvertit nemo. Atqui tamen nihil naturae magis consentaneum est. Nonne unus idemque morbus differt alia corporis conditione et nonne mutatae formae ratio in ipsa hac organismi discrepantia recte ponitur?

Quodsi igitur ex testimoniis auctorum lepra et syphilis seculo decimo quinto adfines fuerint morbi species, eo tantum nomine distantes, quod in syphilide adfectiones magis ad generandi officinam spectarent, numquid aliud sequitur, quam quod ille metaschematismus originem, fontem ac principium haberet in metamorphosi peculiari eo tempore orta organismi generis humani, cujus typus habetur in vitae genitalis evolutione.

Itaque nec constitutio scorbutica, nec constitutio typhosa pandemia hujus novae invisaeque luis erat principium; sed genius seculi sexualis ex lepra dominante procreavit syphilidem, futurum regni haeredem. Habetis viri ingeniosi conjecturam, qua ad rem obscuram illustrandam neque probabiliorem novi, nec magis adaequatam.

Superest, ut de ipsa syphilidis progenie pauca addam, quo adcuratiorem nobis faciamus hujus numerosae familiae notitiam.

Ad syphiloides, auctore QUITZMANNO, referuntur: pellagra, spyrocolon (scarlievo) radesyge, spedalskhed, cretinismus, quorum alii ad syphili-

dem, alii alio adtinent: ad scrofulosin v. c., cujus generis forsitan cretinismus haberi posset, quorumque, eodem notante, communis sedes in genere lymphaticorum. Arduum sane de his judicium ferre. Illud tamen confitendum est, posse morbum multiplicem induere formam: quod vel solae dermatoses probant, quarum icones exhibuit Rayer quasque magna nominum varietate insignivit Conr. Henr. Fuchs Med. Prof. Gottingensis *Op. laud.* pag. 786 sqq. In illis morborum formis recte determinandis tenendum est, alias magis ad lepram, alias magis ad syphilidem accedere, neque deesse plurium dyscrasiarum in pluribus connubia, quibus fit, ut earum dispositio et classificatio magnis prematur difficultatibus, quae ut expediantur, opus foret critica singularum perquisitione visque constitutionis endemicae in utrumque morbum expositione. Haec vero quum ad geographiam medicam pertineat, in alium locum aliudque tempus differenda erit, aut posteris relinquenda.

Fuchsius propriam familiam condidit thymiosarum, adspectu fungoso notabilem, quorsum revocavit: framboesiam (yaws et pians aliis dicuntur) et radosygen et pyrophlyctiden, pustulae malignae speciem. Atque ex hisce thymiosis potius, quam ex aliis morborum generibus syphilidem provenisse existimat, etsi fateatur lepram quoque hujus luis principium fuisse: syphilidem nimirum natam esse, uti Paracelsus jam docuerat, ex thymiosis, lepra et ul-

cere genitalium sive cambucca; primo acuti morbi decursum habuisse, cito tamen in chronicum transiisse, prius thymiosis, jam leprae similiorem et ulceri genitalium.

De curatione seorsum exponere nec hujus loci est, neque nostri instituti. Illud universe monuisse sufficiat: ab externa curatione per inunctiones factum fuisse initium, et quidem per inunctiones mercuriales, quas cum noxias experirentur medici, ad ligna transitum factum: guajacum inprimis et chinam et sarsaparillam; usum mercurii internum maxime praxi sua commendasse Paracelsum. Quibus quidem remediis vario eventu malum oppugnatum est, quodque uno expugnari non poterat, altero fuisse pulsum: nec raro post hydrargyrosin rebellem luem fortunate per lignorum decocta fuisse sanatam. In quibus seligendis magna requiritur in medico prudentia variarumque complicationum adcurata dignotio.

SCORBUTUS.

Si syphilidis origo ex ipsa vitae humanae conditione repetenda est, alia hoc tempore exstitit dyscrasia, a rerum externarum, atmosphaerae potissimum conditione originem ducens, regnante nimirum humido frigido per quinquennium in Eu-

ropa (Cf. Hecker de *sudore anglico* pag. 10 sqq.) quamvis altera, prior illa, non prorsus excludenda videatur.

Ex Heckeri conjectura scorbutus successit leprae, seu potius leprosam dyscrasiam secuta est dyscrasia scorbutica, quarum prior ad genus lymphaticorum, posterior ad genus vasorum magis referenda erat. Haec constitutio morborum popularis sub finem seculi XV. in Germania, praesertim a. 1486. eminuit, testibus chronicorum scriptoribus Fabricio, Spangenbergio, Burchardo. » Ille grassatus est hoc anno (1486), scribit, novus et inauditus in his terris morbus, quem nautae Saxoniae vocant *den scharbock*, qui est inflammatio in membris partium carnosarum, cui quo celerius adhibetur medicina, eo citius malum restinguitur. Sin mora accedit paulo tardior, sequitur membri affecti mortificatio, quam siderationem nostri, Graeci *σφακελον* dicunt, ultimum gangraenae malum. Nam caro ab ossibus defluit et continua quoque a lue corrumpuntur. Fuit idem morbus contagiosus, multorum mortalium gravi periculo."

Quodsi fides scriptori Chronici Morborum Fred. Schnurrer, jam a. 1482 in insulis Daniae orisque maritimis Germaniae septentrionalis scorbutus vulgaris factus est. Deinceps, syphilide dominante, vel minus manifestus, vel minus animadversus, hujus saevitia deposita, in regno successit atque per seculum decimum sextum et decimum septimum

regnavit solus: aut saltem maxime universalis fuisse character nosologicus videtur.

Idcirco haud ineptum fore opinor, in hunc characterem paullo adcuratius inquirere deque dyscrasia scorbutica ipsoque scorbuto uberius exponere.

In scorbuto sanguinem aegrotare, morbi symptomata declarant. Morbis septicis adnumerabant antiquiores morbisque phlogisticis opponebant. Hodie characterem typhosum inprimis scorbuto adjudicant, quo sensu typhum petechialem scorbutum acutum, scorbutum vero typhum petechialem chronicum dixeris atque medium inter utrumque collocaveris morbum maculosum haemorrhagicum, ab erudit. Werlhoff descriptum. In hoc morbo per aërem humidum, nebulosum, impurum, laeditur haematosis, cui et cutis et pulmonum munera serviunt. Neque oxygenio rite animatur sanguis, neque sanguinis pars organica globulosa rite perficitur, neque ab impuris et heterogeneis particulis liberatur; subinde lien in mali societatem venire deprehenditur. Nervi etiam, praecipue nervi motorii horumque socii musculi torpent, tamquam paralytici, atque ad elementum a sanguine alterum accedit a nervis. His enim magnam esse in scorbutum vel generandum vel tollendum potestatem, ostendunt animi affectus tam deprimentes, quam excitantes, potentiarum numero adscribendi.

Ex conjectura Quitzmanni morbus cardiacus ve-

terum ad scorbutum pertinebat, aut cum scorbutica dyscrasia cohaerebat, ita ut arthritidis sive arthriticae constitutionis esset initium: quae arthritica constitutio, rem animadvertente HECKERO, per octo secula fere regnavit, tamquam dyscrasia unica; nunc vero pariter rheumaticum elementum introduxit firmavitque. Erat igitur scorbutus forma transitoria in constitutionem rheumaticam, quae a seculo inde decimo sexto dominavit, ut ipsa arthritica passio hac periodo characterem indueret rheumaticum, quod angina pectoris ab HEBERDENO descripta testatur, siquidem processus arthriticus membranas sive tunicas vasorum prae membranis synovialibus prehendebat. Itaque idem est processus pathologicus abnormis, quem ex dyscrasia leprosa primordiali egredi atque favente communi vitae sanguinis decremento per scorbuticam constitutionem aevo veteri membranas synoviales, recentiori tempore tunicas vasorum prehendere videmus idque eam quidem ob caussam, quia antiquitatis periodo organa vitae vegetativae praecellebant, recenti autem aevo organa vitalia, membranae vasculosae, officina sanguinis, systemati vitae animalis magis cognatae, dominabantur.

Haec utut ingeniosa, tamen intelligi non poterunt, nisi ad omnem vitam vivendique morem cujusque aevi respiciamus. Et declinante imperio Romano et aetate media mores erant pessimi: potissimum vero multus cibi potulentique abusus:

immo magna voracitas, qua corpus impuris humoribus scatebat quaeque, juvante atmosphaerae humidae potentia, perspirationi tam cutaneae, quam pulmonali inimica, sanguinis crasin corrumpebat et per sanguinem deprimebat nervorum vitam: praecipue vero musculis et musculorum nervis oberat. Quod enim voracitas sanguinem depravet et scorbutum generet, vel in junioribus crebro observatur. Quae potentia nocens eo magis oberit, quo magis motus corporis negligatur et humidum frigidum cutim et nervos debilitet, ut forsitan electrica aëris conditio etiam in computationem venire debeat, neque ipsa omitti summa animi vis in corporis nervorumque valetudinem. Praeterea si cogitemus immunditiem, habitationum, urbium, villarum, domorum insalubritatem, clima Germaniae, anni tempestates insalubres, victum duriorem, salitum, lucis aërisque domos et cubicula perflantis defectum, vestimenta crassa et immunda aliaque quam plurima, quae exquisitior cultus fugavit, mirum esse nequit, dyscrasiam istam scorbuticam tunc temporis et tam vulgarem fuisse, ut morbis quamplurimis subesset, et tam diu perennasse, ut patrum demum et majorum memoria rheumatismo cederet.

QUAESTIONES.

I. An, uti dyscrasia leprosa ad genus lymphaticorum, arthritica ad genus venarum, sic scor-

butica ad genus arteriarum propius adtinet?

II. Num exinde cur rheumaticae praeluserit constitutioni, intelligitur?

SUDOR ANGLICUS.

1486, 1507, 1518, 1529, 1551.

Quo tempore scorbutus epidemicus factus est, magnas inter Anglos strages edidit febris ephemera maligna, quinquies reversa, quem sudorem anglicum vocavit vulgus, medicis inter se dissentientibus, utrum febris ephemerae an febris pestilentis nomine esset nuncupanda. Praecesserant pluviae, imbres, inundationes, grassabatur per reliquam Europam typhus petechialis, id est majorum febris putrida pestilens, quae cunctae morbi species sanguinis vitam aegram, haematosin vitiatam, dyscrasiam scorbuticam denotabant.

Cognationem cum peste multi adgnoverunt aequales. » Cum ego, ita Frisius, apud invictissimos Helvetios Friburgo medicum agerem, oriri coepit hominum mortalitas, quosdam febre ab extra leni cum frigore, capitis gravedine, sopore inevitabili, sudore totum corpus penetrante arripiens, nullo apostemate, aut tumore ab extra percepto, in viginti quatuor horis interfecit et qui evasere, aper-

ta dehinc peste, quae paucos post dies subsecuta, interemti sunt."

Et NUENARE: » quod hic morbus de genere putridorum sit, sic disputat, duabus facile rationibus convincitur. Prima est, quod pueri infra decem annos rarissime hac febre corripiuntur. — Alteram causam experientia commonstravit in his videlicet, qui post repercussum sudorem morbo succubuere. Ii enim post aliquot horas statim putrefactionis indicia praebent: foetorem, tabem undique defluentem."

Prima epidemia ex computatione HAESERI incidit in ann. 1486, quo tempore Henricus VII. regno potius est. » Circa hoc tempus, sunt verba BACONIS, in *Hist. Reg. Henr.* VII, versus finem Septembris grassari coepit, tum in ipsa urbe Londini, tum in aliis regni partibus morbus quidam epidemicus tunc temporis novus, cui ex natura et symptomatibus ejus febris sudorificae nomen indiderunt. Morbus iste breves sortitus est periodos, tam in morbi ipsius crisi, quam in tempore durationis ejus. Quippe qui eodem correpti erant, si intra spatium viginti quatuor horarum non morerentur, securi fere et sine metu erant. At quoad spatium temporis, per quod malitia morbi duravit, incepit quidem circa vicesimum primum Septembris diem, cessavit autem sub finem Octobris sequentis, adeo ut festum regiae coronationis, quod celebratum est ultimo Octobris, neutiquam

procrastinaverit, aut impediverit: neque itidem comitia parlamentaria, quae intra septem a coronatione dies successerunt. Fuit iste morbus febris pestilentis genus quoddam, neque tamen, ut videtur, in venis aut humoribus sedem occupans, cum non pustulae, non purpureae aut lividae maculae sequerentur (massa scilicet corporis intacta) tantum malignus quidam vapor et aura ad cor advolavit spiritusque vitales petebat et occupabat; unde natura excitabatur ad eundem per sudores emittendum et exhalandum. Patuit autem per experientiam, quod morbus iste naturae potius insidiator erat eamque imparatam opprimebat, quam adversus remedia obstinatus, si in tempore subventum foret. Etenim si aegrotus in aequabili temperamento quoad vestes et focum detentus esset tepidumque bibisset et cordialia etiam temperata sumpsisset, unde naturae ipsius opus nec calore irritaretur, nec frigore repelleretur, plerumque sanitas sequebatur. Verum innumeri homines ex eo subito occubuerunt, antequam curationis modus et regimen aegroti innotesceret. Opinio erat, morbum istum neutiquam ex epidemicis illis, qui simul contagiosi sunt et de corpore in corpus fluunt, fuisse, sed a malignitate quâdam in ipso aëre: ex praedispositione tempestatum et mutationibus coeli crebris et insalubribus impressa manasse: atque brevis ejus mora hoc ipsum indicabat." Hactenus Baco.

Therapeuticen populus consilio magis, quam me-

dicorum arte repperit: naturae obsequio, quiete, abstinentia, missis pharmacis. Caussas in aëre Angliae nebuloso vitaeque genere Anglorum esse positas opinio est, quibus adjungunt tempestatum anni insalubritatem solique, propter inundationes, humiditatem. Morbum abegit procella, ipsis Kalendis Januariis anni sequentis.

Altera vice rediit in Anglia morbus a. 1560 ac praecipue saeviit Londini, caeterum mitior: suppari methodo curatus est feliciter.

Tertia epidemia saeviit a. 1518, intra paucas horas lethalis, etiam compluribus Angliae Academiis exitiosa, ita ut scribat THO. MORUS: » omnibus fere intra paucos dies decumbentibus, amissis pluribus, optimis atque honestissimis amicis." De vitae ratione in Anglia sequens citatur ab HECKERO testimonium: » homines perpetuo in hypocaustis degunt multoque carnium esu se ingurgitant et alimentis piperatis continuo utuntur. Quare factum est, ut continua hypocaustorum aestuatione meatuum cutis relaxatio consequeretur, quae sudoris promptissima et potentissima causa esse solet, cujus materia in humorum exsuperantia consistebat, quam frequens alimentorum multum nutrientium et piperatorum usus collegerat."

Quarta epidemia a. 1529 erupit idque habuit peculiare, quod Angliae finibus non contineretur, sed citra et ultra per Europam septentrionalem diffunderetur ibique ignota, aut neglecta simplici

Anglorum curatione, prava arte exacerbata, quamplurimos sustulit: qui teste GEMMA consuti et violenter operti clamitabant misere, obtestantes Deum atque hominum fidem, sese dimitterent, se suffocari injectis molibus, sese vitam in summis angustiis exhalare; sed adsistentes has querelas ex rabie proficisci, medicorum opinione persuasi, urgebant continue usque ad 24 horas. Simile apud FORESTUM exstat testimonium: » occlusis rimis omnibus, excitato igne copioso opertisque stragulis, quo magis tutiusque sudarent, aestu praefocati sunt." Quod quoniam in Belgio potissimum sequebantur, regimen belgicum dictum est. Nec tamen soli medici adcusandi, sed libelli erronei ab indoctissimis hominibus in vulgus emissi, qui, referente FORESTO, in ejusmodi lue curanda peritiam et experientiam jactabant multosque in Anglia aliisque regionibus sese curasse dicebant, cum omnia falsa essent.

Symptomata morbi hisce verbis ab auctoribus describuntur: ungues potissimum excruciat, alas ita comprimit, ut etiamsi velis, non posses attollere. In extremitatibus puncturis retorquentur dolorosis, extremitates obstupefiunt, dolet orificium ventriculi, nervorum contractiones nascuntur, plantarum pedumque dolores. Aliis mox tument manus et pedes, aliis facies, quae et in pluribus livet; nonnullis sola labia et superciliorum loca: mulieribus etiam inguina inflantur. Maximus de-

nique calor haud procul a corde sentitur, qui ad cerebrum devolans delirium adducit, internecionis nuncium. Alios somnolentia prehendit et inevitabilis sopor. Interim sudore diffluebant odoris teterrimi, cum alvi solutione ac lotii haud modica ejectione in ea morbi specie, quae curatum itura est. Febrem sudor finiebat, post se relinquens in extremitatibus corporis pustulas parvas, admodum exasperantes, diversas et malignas secundum humorum malignitatem."

Crebro quos reliquit, brevi intervallo repetens, denuo prehendit, nec id semel, sed bis, ter, quater, donec in hydropem, aut aliud morbi genus versus tandem extinguat miseris excarnificatum modis. Immunes erant pueri et senes ab hoc malo. Praeternavigavit etiam magna ex parte atrabilarios et emaciatos corpore, quoniam et horum corpora putris succi expertia erant." De caussis autem: » juvit etiam auxitque malum, inquit scriptor coaetaneus, frequens multaque crapula et in potionibus otiosa vita nostra.

De hac quarta epidemia sequens exstat relatio Fernelii:" febres sudorificae insolentes magno terrore in omnem inferiorem Germaniam, in Galliam Belgicam et in Britanniam ab anno Christi 1525. in annum 1530 autumno potissimum pervagatae sunt. Ut primum lues haec in civitatem quandam invaserat, derepente supra trecentos aut quingentos in dies corripiebat, dum hinc alio commigrasset. Perculsi

mox, quasi essent languore dissoluti, animi defectione corruebant occumbentesque perpetuo sudore diffluebant, cum febre, cum pulsu crebro, celeri et inaequali, neque sudori modus erat ante morbi solutionem. Solvebatur autem uno, aut summum altero die, quamquam liberati diu postea languebant. Omnibus cordis palpitatio conquisita, alios quidem duos tresve annos, alios omnem vitam comitata. Initio multos sustulit, quum nondum illius vis erat percepta: at postea admodum paucos, ubi exercitatione et usu deprehensum est, eos qui sudores exciperent prolicerentque et se cardiacis munirent, omnes restitui."

Quibusdam cum tremore et frigore, caeteris non sine ardore mediocri increpuit accessio, cum capitis et dolore et gravedine, cordis pulsatione, nausea, vomitu, somnolentia enevitabilique sopore. — Fit autem crisis hujus ephemerae pestilentialis maxime per sudorem copiosum et foetidum et quandoque per frequens lotium. Nam quo frequentius aeger urinam in hoc morbo facit, eo melius." Quartam anni partem non superavit: hyeme vero ingruente, id est mense Decembri, desiit.

Quinta epidemia post viginti annos, videlicet a. 1551, exorta est, et quidem mense Aprili, sola quae per medicum Anglum, litteratissimum Cajum nempe, descripta est memoriaeque posterorum tradita, cujus continuo proponenda descriptio est. Is morbum febrem ephemeram vocat, nec pestilen-

tem, GALENI pyretologiam probans, non ab humoribus, verum a spiritibus vitiatis repetivit: quo sensu accipiendum est, quod de ipso monuit HECKERUS, non ad pestilentes, sed ad diarias febres hanc retulisse, contra atque alii, qui pestilentibus accensent. » Primo insultu, (ita morbum hunc per sua symptomata cognitum facit) primo insultu aliis cervices, aut scapulas, aliis crus, aut brachium occupavit. Aliis sensus erat veluti spiritus, aut flatus calidi per membra ea discurrentis. Una cum his subitus et sine manifesta causa huic morbo insuetis, largus sudor manavit. Interiora calebant primo, postea ardebant, calore jam inde ad extimas partes diffuso. Sitis ingens, jactatio inquieta. Cor, jecur, atque stomachum male morbus habuit. Haec omnia subsecutus est gravis dolor capitis, vanum loquaxque delirium, post marcor et inexpugnabilis pene dormiendi necessitas. Habet enim morbus quoddam acrius ex aëre noxio virus, quod mentem et furore movet et sopore opprimit; ea vis malo est. Rursum aliis principio cohibitus sudor est, frigebant membra leviter: at postea erupit idem promotus, sed odore gravis, colore in alio alius pro humoris ratione, quantitate subinde diminutus, subinde copiosus, substantia crassus. Aliis nausea, aliis vomitus erat, sed perpaucis et pene solis ex cibo saturis. Omnes spiritum gravem ac frequentem, vocem gemibundam expedivere. Urina colore tincta leviter, consis-

tentia crassior, levamento ambigua (nulla enim erat naturae regula, propter veneni impetum) caetera pro naturali. Pulsus siquis praetentet, concitatior, frequentior. Haec certa morbi indicia erant. Quamobrem quibus sive his notis, sive mitioribus, sive asperioribus profluxit sudor (profluxit autem plurimis) id evenisse censeo non ratione morbi, sed aetatis, vestium, metus, vini, cibi, affectus animi, exercitii, temporis (etenim vigebat maxime ardente syrio, ardoribus jam omnia obsidentibus) aut certe ratione differentis vel levis causae. Nam quibus remissior fuerat aëris pestis et ex corpore minor occasio, ipsa quoque temperatior noxa erat et nihil amplius, quam corpus levi calore sudoreque blando tentabat.

De caussis haec habet: » quid ergo causabimur, propter quod nostros praeter caeteros lethalis sudor tentavit. Vivendine rationem sobriam atque temperantem? nequaquam. — Quid ergo eandem illam vivendi rationem luxuriantem? ita plane. Nam mensarum profusa luxuries nos certe perdit, corpora corrumpit atque ad omnes morbos suscipiendos praeparat. Nimium plane delicate ac molliter vivimus, nimia rerum affluentia premimur, nimio ciborum atque potionum luxu diffluimus, quibus multi tanta dulcedine utuntur, ut magna pars non aliud vitae praemium intelligat; tantumque, dum ex potus jugi puteo bauca-

lio bibunt, implentur, quantum satiet desideria praeterita et in futurum diu posset sufficere, nisi quod vitium hoc ea necessitas comitatur, ut bibendi consuetudo augeat aviditatem. — Nunquam sitientes bibimus, nunquam esurientes edimus, sed relicta priori copia, statim repetimus, quam reliquimus, satietatem; usque adeo nulla est apud nos conviviorum aestimatio naturali usu, sed stulta persuasione et consuetudine. Hinc pestis haec, hinc fundi nostri calamitas. Hinc sane plures tanquam vulnere quodam suo maturius extinguuntur, quam suo fato. Hinc quoties pestis ingruit, primis diebus morimur. — Quamobrem solum id superest, ut ad spiritus impuros atque ad contagionem excipiendam aptos ex pleniori, varia et pejore vivendi ratione secundam causam et eam incidentem privatae hujus nostrorum molestiae referamus."

De curatione denique haec monuit: » causam efficientem hujus pestilentis ephemerae ex vapore venenum esse ante retuli. Ergo educendum id esse, indicatio est. Sed qua via atque ratione, ex natura petendum est. Etenim qua maxime fert natura, ea educendum docet medicina: fert autem maxime sollicitando sudorem; qui si non sequitur, nihil spei superest; si sequitur, sanitas quoque prospicitur. Sudorem igitur promovere hujus medicinae meta atque scopus est, huc omnia referenda. Per sudorem enim ad integritatem ve-

nitur. — Si natura fluit, sudor proxima est necessaria patientia, tum naturae locum dare, conatus ejus non impedire, vires non frangere, eam motu non defatigare, eodem momento decumbere, vestes nisi commode possunt eximi, non deponere, alias, sed modo, si opus est, accersere, abstinere, quocunque modo naturae quietique sese dedere, de se bonam spem concipere, eamque brevi datam fore sibi persuadere, animo valere. — Sudandi ministrandique tempus ideo horis 24 definio (ita pergit) quod haec ratio felicis tutaeque curationis atque ministrationis esse solet. Per haec dum sudor sponte profluit, abstinentia esto a cibis ad horas 24, a potione ad horas quinque ad minimum, si per utriusque necessitatem id fieri potest. — Ita in quiete et abstinentia habitis aegris, quinta hora potionem etiam liberalem postulat. Nec committendum est, ut supra vires aeger insudet, quod potior est dubia curatio atque salus, quam certa mors. Si somnus urget, esto a somno abstinentia. Refocillatis spiritibus si opus est, superest, se vestibus aeger aut exuat, si indutus est, aut induat, si posita veste nudus est, sed siccato ante utrisque corpore, quam de lecto surgant. Ubi jam surrexerit, statim in apertum aërem prodire eum, tutum non est. Nam exhaustum et rarum corpus, si subitus, frigidus et insuetus aër excipiat, impendio naturam cogit et liberaliori, quam par est, alvi fluxione vitam saepe finit. Id quod multis

apud nos evenisse, usu compertum est. Quamobrem, ne se aperto aëri committat aeger ante secundum, aut tertium diem, moneo, neque ei nisi sereno et tranquillo."

Haec de ephemera brittannica breviter relata sufficiant, ut qualis tandem fuerit morbi species, cognosceretis. Hisce subjiciendum est, auctorum de morbi natura judicium.

Utrum ad humores, an ad spiritus vitiatos proximam morbi caussam referrent, disputaverunt aequales, quia et sanguis et nervi videbantur aegrotare: quo sensu febrem rheumaticam cum gravi nervorum intemperie vocavit nuper Heckerus atque animadvertit, eodem tempore reliquam Europam devastasse typhum petechialem hocque toto tempore cutim aegrotasse, regnasse autem constitutionem rheumaticam: ultimam epidemiam a. 1551 magis in typhosam fuisse proclivem. Denique cum aliis morbis epidemicis tam morbo cardiaco veterum, quam epidemiis picardiensi et rottingensi confert: quorum prior arthritidi, quam rheumatismo, alter miliari febri similior, tertius denique sudori anglico simillimus ei habetur.

Ab Heckero ita dissentit Haeserus, ut sudorem anglicum transitum facere opinetur a typho petechiali ad febrem miliarem, hanc autem ipsam esse ἄκμην processus rheumatici, cujus magna est cum membranis fibrosis, cordis praecipue et vasorum adfinitas: unde superstitem a morbo cordis palpi-

tationem repetit. Hanc theoriam adstruere conatur epidemiis sudoris anglici et typhi petechialis aequalibus, puerorum et senum ab illo immunitate ipsiusque tum symptomatibus, tum caussis ab aëre humido nebuloso et regionum locorumque, quae vexavit, natura, tandem affectionibus manifesto rheumaticis.

Ultimo citandus est QUITZMANNUS, qui in ephemera brittannica cerni metaptosin regnantis hactenus constitutionis leprosae, interveniente principio typhoso, in constitutionem rheumaticam, arbitratur: ipsum autem sudorem anglicum natura sua febri miliari cognatum esse; hanc vero febrem indicare renisum arteriosum in constitutionem venoso-typhosam ad eamque febrem miliarem procreandam scorbuticam quoque constitutionem suam contulisse symbolam eatenus, quatenus inter leprosam et typhosam intermedia fuit. Esse igitur sudorem anglicum evolutionem processus rheumatici, per febrem demum miliarem absolvendam.

Habetis praecipuas auctorum medicorum de hâc ephemera ejusque significatione hypotheses: quas nunc breviter ita commentabimur, ut quae nostra sit de ea Anglorum febre sive sententia, sive conjectura, explicemus.

Cur Anglos potissimum vexaverit haec epidemia, quaesitum est. Alii in climate Angliae, alii in Anglorum vitae regimine hujus problematis solu-

tionem sibi visi sunt invenisse: neque dubito, quin magna harum potentiarum in epidemiam illam generandam fuerit efficacitas. Verum pariter peculiarem gentis hujus naturam spectandam esse, equidem censeo, qua factum est, ut cor et genus arteriarum et systema motorium praesertim constitutionis vim reciperent. Sunt enim Angli, ut Romani veteres, ad agendum nati, ingenio practico excellentes corporeque ad hoc ingenium practicum conformato. Quocirca uti morbi arthritici, vigente plurimum vitâ plastica, inter Romanos maxime communes fuerunt, ita postquam magis sese explicuerat vita animalis, arthritidibus successerunt rheumata atque dyscrasiam arthriticam excepit diathesis rheumatica, ad quam mutationem praeludebat ephemera sudatoria, in qua nascentem cernimus constitutionem morborum communium rheumaticam. Nempe in scorbuticam dyscrasiam, recentiorum temporum illam, quae temporum antiquorum dyscrasiam leprosam secuta videtur, quum reniterentur cor et genus arteriarum et systema motorium, ecce aut reactionis, aut, si mavelitis, reflectionis modo exorta est ephemera brittannica, sudorem anglicum vocant, qua character ille rheumaticus expressus est, qui deinde in communem characterem nosologicum abiit. Ideoque hoc sensu ephemera brittanica epidemia sive pandemia rheumatica nuncupari posset.

Quoniam vero character ille nosologicus rheu-

maticus potius ad regiones septemtrionales, quam ad regiones meridionales pertinet, ecquid mirum, ex quo Angliae fines egressa est, hanc pandemiam praecipue septemtrionales in regiones migrasse, dum in reliqua Europae parte aliae epidemiae eodem hoc tempore regnarent. Deinceps magis manifesto systema cutaneum prehendit atque sub exanthematis specie prodiit, iis praesertim locis, quibus dermatosium forma magis vulgaris: ut quemadmodum variolae pestis exanthematicae, morbilli influenzae exanthematicae, scarlatina erysipelatis exanthematici speciem obferunt, sic febris miliaris rheumatismi exanthematici nobis formam praebet: quod utrum mavelitis cum aliis rei epidemicae scriptoribus rheumatici processus ἄκμην appellare, an, ut mihi videtur, propriam vocare hujus processus formam, mihi perinde est: dummodo hac de re inter nos conveniat, et febrem brittanicam et febrem miliarem ejusdem esse hujus processus rheumatici progeniem.

An spinae medulla, organon illud innervationis princeps, quasdam habuerit partes in ephemera isthac concitanda, quaeri eo majori jure posset, quoniam ipsius in provocandis reflectionis phaenomenis notissima et nuper melius indagata potestas est. Ad quam quaestionem adfirmando mihi respondendum videtur. Nempe sanguis crudus, impurus, tam propter cacochymiam et cacochyliam principiis alienis, nec rite subactis scatens,

quam propter aërem humidum nebulosum eoque impeditam perspirationem cutaneam et pulmonalem imperfectamque haematosin, pravo stimulo cor et genus vasorum non tantum, verumetiam genus nervorum irritando motum febrilem ciens, per humorum ex cute profluvium liberandus atque emendandus cum esset, sudores illi enormes foetidi eruperunt, quibus nisi in opere suo turbaretur, natura restituit rem. Qui motus criticus ita moderandus erat, ut ne ab una parte excederet, neque ab altera opprimeretur: unde intelligitur regiminis anglici salubritas: pernicies vero regiminis pseudomedicorum, aut aegrotantium impatientiae atque temeritatis poena. Nam sive nimium urgeret sudores male sedula cura adstantium, sive incaute reprimeret aegrotantium animus inquies et indocilis, conclamata res erat.

Pandemia illa per dimidium et quod excurrit seculum, quinque vicibus rediens, exemplar obfert morbi popularis recidivi, quo significatur, nonnisi per iteratas accessiones illam absolvi potuisse constitutionis epidemicae transmutationem, quâ character nosologicus antiquus in characterem nosologicum novum reformatus est atque dyscrasia orbis veteris in dyscrasiam orbis novi transiit.

Quod eo magis adtendi meretur, quia eodem hoc tempore psychica facta est in orbe intellectuali mutatio, unde novus natus est seclorum ordo. Scilicet historia humanitatis sine historia sanitatis in-

telligi rite aut explicari nequit. Nam ut homo et corpore constat et animo, quae arcta cognatione inter se continentur, sic genus humanum vitam vivit corpoream et psychicam, quarum altera alteram alit atque sustentat cujusque scientia manca erit et imperfecta, nisi ad utrumque elementum animum advertas.

QUAESTIONES.

I. Quaenam fuit ephemerae brittannicae cum morbis epidemiis eodem tempore regnantibus cognatio?

II. Quibusnam elementis composita videtur?

III. Quem locum tenet in serie pandemiarum?

ADPENDIX.

Apud Forestum nostratem Libr. VI. Obs. VII. mihi T. I. pag. 197. de ephemera brittannica haec adnotata reperio. » Hoc malum exitiale ad aliquot temporum intervalla, novum exortum est, annis jam ferme quadraginta Anglis peculiare: ubi cum primum grassari coepisset ignotum, nec medicorum ars quicquam adferret, tanta vis hominum extincta est, ut vix crederetur eam insulam a tam multis incoli: nec semel ortum cessavit: quaelibet enim aspera bruma licet subinde remittatur, scintillans duntaxat, rursus identidem sic incrudescens, ut parcat nemini: non aliud malum horribilius, nec éontagium periculosius; habet tamen illud boni, quod uon excarnificit hominem diutinis cruciatibus, intra

duodecim horas, interdum intra pauciores aut tollit hominem, aut certam vitae spem praebet. Atque initio quidem, ut fit, festino affligit sudore, sed igneo, odoris teterrimi: visum est ex amne phlegethonte emissum hoc malum. Ungues potissimum excruciat, alas ita comprimit, ut etiamsi velis, non possis attollere. Qui fervoris erant impatientes et auram largius admittebant, hi fere subito extincti sunt. Rursus alii cum animadverterent id compluribus infeliciter cessisse, dum in diversam tendunt rationem, in idem tum exitium inciderunt. Nam occlusis rimis omnibus et excitato igne copioso opertique stragulis, quo magis tutiusque sudarent, aestu praefocati sunt. Praesentius tamen exitium adferebat admissum frigus. Tandem reperto temperamento, multo plures ab eodem morbo convaluerunt, quam extincti sunt. Tamen tanta lues nondum eo tempore invenit nomen, nec ullum efficax ab arte medica remedium hactenus repertum est. Post jam tot orbis tumultus, post bella, post caedes, post opinionum dissidia, post rerum omnium et caritatem et inopiam, a. 1529. translata est haec lues ex Anglia in Norvegos, Danos quoque. Deinde furiose perambulans Poloniam, de regno in regnum, de provincia in provinciam, de civitate in civitatem, adverso Rheno demigravit in Germaniam, perambulando etiam totam vel majorem ejus partem, civitates quoque orientales nonnullas, ut Hamburgum, Bremam, Lubecam, Dantiscum et a Polonia in Germaniam pervenit. Tandem post canem descendendo per Rhenum, ab Agrippina Colonia, incredibili celeritate ad agros Juliacenses ac Leodienses demigravit: illinc ad Brabantos, Flandros, ad Geldriam atque Transilvanos et intra paucos dies ad Trajectum pervenit. Illinc acri incursu Hollandiae limites hostiliter invasit, quos suis venenosis telis mira velocitate infecit omnes, solis Alcmarianis et Waterlandis pro majore parte hac lue minime infectis. Amstelrodamum vero, in qua urbe Tyengius medicinam faciebat, 27 Septembris eodem anno 1529 post prandium per aërem quenquam nebulosum subintrabat. Il-

hinc subito Harlemum et loca vicina usque ad oceanum et tandem ad Zelandos permeavit. Istinc propulsa demum ad Anglos, unde digressa erat, pervenit, ubi tum per aliquot annos sedes quietas obtinuit.

Sudor anglicus (sic pergit referens *Obss.* TYENGII pag. 198.) Amstelrodami tres aut quatuor tantum dies populariter grassans, post quintum diem ad alia loca celeriter transvolabat, neque amplius in urbe visa est. Istis quidem diebus quam crudelissime saeviebat. Et licet hic atrox et valde perniciosus morbus existeret, minus lethalis erat, si aegrotantes absque errore commode tractarentur. Facile enim propellebatur venenum a centro ad circumferentiam in omnibus per sudorem.

Erat totius anni constitutio humida, pluviosa. Ergo ex natura morbus minus lethalis, si eis debita cum sollertia perspicaci adhibita essent remedia. Verum quamplurimi hoc morbo misere suffocati sunt ob libellos erroneos in vulgus emissos.

Incipiebat autem haec febris utplurimum cum horrore, et sudore terminabatur, et uno die cessit, imo raro 24 horas transibat: et propterea quidam dubitabant ephemeram esse, sed ab omnibus praestantissimis quibusque medicis determinatum est, pestilentem putridam fuisse.

Causa universalis fuit aëris corruptio et particularis anni constitutio praecedens humida, hinc febrem sudor finiebat, post se relinquens in extremitatibus corporis pustulas parvas, admodum exasperantes, diversas et malignas secundum humorum malignitatem. Corpora ad putredinem disposita et parata magis afficiebantur. Quod ad curationem attinet, et venae sectionem et purgationem ab initio statim adhibebat, sed prorumpente sudore ab iis abstinebat, ne motum morbi impediret et magna cum laude utebatur potione hordeata, diaphoretica leniterque cardiaca.

Parum calidioribus et sudoriferis utebatur Tertius Damianus Vissenacus medicus. Angli vero nullis aliis medicamentis utuntur adversus hanc febrem, quam exspectatione sudoris, nam quibus

advenit, omnes fere evadunt: quibus autem retinetur, maxima pars perit. Quare cura omni et diligentia procurant, ne impediatur sudor: quod vel facillime accidit, si tantum aeger situm vel accubitum non mutet: qua de causa jubent medici, ut una integra die situm non mutet: quam molestiam qui ferre possunt, mercedem laboris recipiunt et evadunt: qui vero ferre non valent, sed se jactant, decubitum mutant, novum aërem aucupantur, impedito sudore, sua causa pereunt."

Hactenus Forestus, qui perdignus sane est, quem de epidemiis sui ipsius temporis testem fidum peritumque consulatis.

TYPHUS PETECHIALIS.

1505.

Regnante in Anglia ephemerâ sudatoria, post pestem inguinariam in Italiâ adparuerunt febres pestilentes, quas sequentem in modum refert Fracastorius: » sunt et aliae febres, quae mediae quodammodo sunt inter vere pestilentes et non pestilentes, quum ab iis multi quidem pereunt, multi etiam evadunt: contagiosae autem sunt et idcirco naturam pestilentium sapiunt, adpellari autem solent malignae magis, quam pestilentes, quales illae fuere, quae annis 1505 et 1528. in Italia primum adparuere, aetate nostra non prius notae, certis vero regionibus familiares, ut Cypro et vicinis insulis, majoribus etiam nostris cognitae: vulgus lenticulas aut puncticulas adpellat, quia

maculas proferunt lenticulis, aut puncturis pulicum similes: quidam mutatis litteris peticulas dicunt: de quibus diligenter agendum videtur, quia et nunc quoque crebro visuntur, modo communes multis, modo quibusdam particulatim contingentes: visi etiam sunt, qui ex Italia in alias regiones profecti, ubi nullae essent ejusmodi febres, ex iis tamen perierint, quasi secum infectionem detulerint, quod clarissimo et doctissimo viro Andreae Naugerio oratori pro serenissima Venetorum repub. apud Franciscum regem Gallorum anno salutis 1529 contigit; ex hac enim labe interiit, in ea provincia, in qua ne nomen quidem notum erat aegritudinis ejusmodi: vir sane tantae doctrinae et ingenii, ut nulla major litterarum jactura sit facta, jam multis annis. Contagiosa est igitur haec febris, sed non celeriter, nec fomite, nec ad distans, sed tantum per tractationem infirmi. Per initia autem cum febres pestilentes omnes placidae sint et mites, tum haec adeo placide invadit, ut vix admittere aegri medicum velint: unde et medicorum plurimi decepti sunt, exspectantes resolutionem morbi paulo post, nec quicquam contra parantes. Mox vero signa malignae febris adperiebantur: nam quamquam calor mitis pro natura ejusmodi febrium sentiebatur, interna tamen perturbatio quaedam percipiebatur, tum et fractio in toto corpore, lassitudoque more fatigati; decubitus erat supinus, caput gravescebat, sensus hebe-

tes erant et mens magna ex parte post quartum et septimum haesitabat, oculi rubescebant, verba multa dicebantur. Urinae primum exalbidae utplurimum cernebantur, plenae tamen, mox rubentes et confusae, aut similes vino granatorum, pulsus rarus et humilis, excrementa corrupta, foetentia. Circa quartum et septimum in brachiis, dorso et pectore maculae rubentes, saepe et puniceae erumpebant, puncturae pulicum similes, saepe majores incitatae lenticulas, unde et nomen inditum est. Sitis autem aut nulla, aut parva aderat: sordescebat tamen lingua, somnolentia quibusdam aderat, quibusdam et vigiliae, interdum in eodem utraeque per vices, status erat aliis ad septimum, aliis ad quartum decimum, aliis et ultra; urina quibusdam detinebatur, quod pessimum signum erat. Et febre mulieres paucae, senes paucissimi, Judaei fere nulli periere. Juvenes et pueri multi, et ii quidem nobiles, ut pestilentes verae consueverunt, quae cum vulgum praecipue capiebant, tum hae febres in nobiles grassari visae sunt. Perituros sua signa praecedebant, sicut et evasuros: mala erant, si aeger virtute defici sensisset, si assumpto levi pharmaco ingens alvi dejectio secuta fuisset, si facta crisi non accessisset alleviatio; nam vidimus, quibus librae tres sanguinis erupissent e naribus, paullo post tamen obiisse: malum item, si urinae detinebantur, si lenticulae delituissent, si aegre erupissent, si lividae fuissent

et valde puniceae: quod si autem omnia, aut plura ex his accessissent, certissima sequebatur mors. Evasio vero, si contraria aut omnia, aut plura adparuissent."

Haec postquam ex FRACASTORIO adnotaverat nostras FORESTUS, subjunxit, lenticulas in febre pestilenti a se spectatas multo periculosiores fuisse illis, quae tempore FRACASTORII erumpebant. Exempli loco sit *Obs.* 35. *Libr.* VI. T. I. ab ipso memoriae prodita: » Puer annos natus fere tres a. 1573. m. Septembri cum perpetuae pluviae essent et pestis ubique grassaretur, ob bellum, quo affligebamur, cumque pestilentes quaedam febres sine charactere veneni (i. e. sine bubone) nonnullos occuparent: puer hic in parte orientali Delphis correptus est febre illa, quam alii lenticulas, vel puncticulas vocant. Nam cum ad hunc puerum accitus essem, animadverti, eundem acutissime febricitare et in pectore potissimum lenticulas nigras habere cumque puer sitirit ac vermes una dejiceret, mortem praedixi. Omnes enim (paucis exceptis) qui ejusmodi lenticulas nigras habebant paulo ante mortem, non evadebant. — Cum vero stigmata latiora essent et rubedinem haberent, melius evadebant." Uti petechias, ita quoque typhomaniam in istis febribus pestilentibus animadvertit, neque semper omine lethali, quemadmodum docet *Obs.* 38. Quodsi male curarentur, si sectio venae fieret, omnes fere moriebantur.

Jam pridem tam cutis, quam cerebri laesi symptomata in febribus pestilentibus notaverant auctores. Crebriora tamen longe haec contingebant, seculo decimo quinto.

Primum testimonium sit MARSILII FICINI, de epidemia pestis florentina a. 1379. » Sunt nonnulla pestilentialis febris signa, vid. febris continua absque ordinata et manifesta declinatione, cum anhelitus et pectoris angustia, cum repentina pulsus debilitate, cum universi corporis gravamine, praecipue capitis, phrenesi, anxietatibus, ardore, siti, sanguineis maculis plurimis in locis, cum urina grossa, turbida, qualis est jumentorum." Alterum ALEX. BENEDICTI de *pestilentiali febri* a. 1493. » Quibusdam bubones sive inguina innascuntur, vel pustulae minutae liventes, vel quae cutem veluti sugillatione convariant, saeviente flamma." Hic alio loco typhomaniam, tamquam symptoma vulgare satis, commemorat.

Itaque vidimus, cum vera peste extitisse hoc tempore febres petechiales, quae initio cum hac tamquam confusae, aut copulatae, deinceps, praesertim ab anno inde 1505, separatae prodiere, ut pesti epidemicae in Europa succedere videretur typhus ille petechialis.

De natalibus atque origine hujus typhi petechialis magna inter viros doctos dissensio est. Alii pestis inguinariae partum fuisse censent. Alii Europae meridionalis progeniem nuncupant. Horum e

numero est erud. HAESER, qui quoniam simul in variis Europae regionibus: Italia, Hispania, Gallia consimiles regnarunt morbi ipsaque typhomamania praevalentem cerebri vitam indicans hanc cultiorem humanitatis periodum manifestare visa est, ut vel vulgus hunc morbum adpellaverit principem, medio aevo procreatam esse hanc pandemiam europaeam arbitratur.

Aliam sententiam defendit doctiss. QUITZMANN. Hic adposite ad eam, quam prius proposuerat theoriam, morbos populares chronicos a lepra, acutos vero a peste traxisse originem: typhum petechialem et pestem inguinariam unius esse ejusdemque familiae morbos ex uno germine prodeuntes contendit. Ac pariter ut ex germine sano alia aliaque organorum systemata et organa sese explicant, pariter ex germine morboso alias aliasque evolvi formas et symptomata morborum. A medio seculo decimo quinto ex processus typhosi et constitutionis leprosae connubiis novos generatos esse morbos, eodem fere tempore ex constitutione pestilenti novam pestis speciem esse natam, quae priscam inguinariae speciem pestis in dies arctioribus finibus circumscriberet tandemque ex Europa profligaret.

Ab utrisque sententiis rursus discrepat OMODEI conjectura, contendentis typhum petechialem proxime ex peste inguinaria provenisse, eo quidem sensu, ut hanc illius parentem habeat. Nec desunt, qui jam antequam pestis inguinaria Europam

invaserat, extitisse hunc typhum petechialem in hac mundi parte adfirmant, postea a peste inguinaria expulsum, tandem vero post mille annos reducem, hanc ipsam ex Europa expulsisse.

Perspicitis, multum inter se de hoc morbo dissentire auctores, neque auctoritatibus ponderandis litem dirimi posse. Idcirco praestabit, rem paullo altius repetere, ut quid demum de ea statuendum sit, efficiamus.

Si processum naturae organicae intueamur, deprehendimus, typos esse et exemplaria rerum, ad quae cuncta fingit et componit: ita ut alia post alia sese explicent, ac commune schema magis magisque perficiatur. In embryone primo animalis forma, deinde genus, tandem species manifesta est, ultimo individuum circumscribitur, cujus vultus et facies tandem a parentibus etiam et cognatis discrepantiam ostendunt. Hanc quoque legem in evolvenda serie organica morborum natura sequi videtur. Jam si ponamus, in peste primordiali quae λοῖμος nomine generico dici solet, latuisse morborum pestilentium omnium principia et elementa, ex ea tanquam communi parente profectas esse varias pestium species, conjicere forsitan licebit.

Haec autem hypothesis quod minime vana sit reï species, ipsa morborum pestilentium adcuratior indagatio docebit. Ipse Haeser multorum medicorum observatione constitisse refert, non tan-

tum pestem inguinariam in typhum petechialem transiisse, verumetiam typhum petechialem produxisse bubones et carbunculos, manifesto indicio, me saltem judice, utrumque morbum esse cognatum maximeque adfinem, immo antea fuisse uno processu morboso comprehensos, postea demum separandos atque separatim seorsumque provenientes. Non citabo testes ab HAESERO productos: JULIUM PALMARIUM, HOECHSTETTERUM, alios, unum nominare sufficiat PETRUM FORESTUM Alcmariensem. Itaque circa pestem Delphensem a. 1557. adnotavit, quibusdam ob sanguinis ebullitionem puliculares maculas rubras ortas esse, aliis nigras, quae et pessimae erant (Tom. I. Libr. VI. Obs. XI. mihi pag. 210.) esse autem pestem, sive febrem pestilentem potius, aliam incomitatam, aliam, quae characterem sui veneni ostendat; hanc ab omnibus facile cognosci ex carbunculis et bubonibus erumpentibus: nonnullis vero ecthymata et exanthemata, pustulas purpureas et lenticulares per cutem spargi (ib. *Obs.* XII. *Schol.* pag. 212.) febrem pestilentem incomitatam difficillime cognosci idque reliquis quidem pestis signis nonnullosque in typhomaniam incidere (pag. 213.) Hujus exemplum legitur *Obs.* 38. ibid, pag. 239. pueri duodecim annorum, qui post varios casus multaque discrimina rerum praeter spem convaluit, quamquam maculae plumbeae ad latitudinem volae manus per totum ventrem et corpus

adparuerant. Has igitur observationes si peradtento animo perpendamus, de cognatione utriusque morbi vix dubium superesse poterit.

Ex iis, quae hactenus disputavimus, non unum esse elementum sive principium, unde typhi petechialis origo repetenda est, existimo, verum plura, quae conjuncta hanc novam morbi speciem procrearunt. Et primo quidem loco pestis, aut si mavelitis, pestilens constitutio ponenda est, tum scorbutica horum temporum dyscrasia, porro rheumatica diathesis, quae hic cutim magis et mucosas prehendisse videtur, aut potius humorum in cutim impulsus, denique et character typhosus, seu nervosus, quo cerebrum praesertim in mali societatem venit: quemadmodum in peste nigra pectus et pulmones inprimis aegrotabant. Nam hâc aetate cerebrum maxime viguisse ingeniique cultum liberaliorem, historia humanitatis inque nostra patria bellum illud hispanicum testantur. Atque hanc quidem ob caussam pestis inguinaria, quae aevo medio pulmonalis facta est, hoc, de quo agimus tempore, magis magisque cerebralis fieri coepit et characterem nactus est typhosum, qui postea in typho exquisitus et expressus exstitit, humorali isthac et petechiali complicatione deposita.

Habetis meam de typho petechiali sententiam, quem inter pestilens putridumque febrium genus et genus febrium nervosum medio quodam loco col-

locarem, formamque haberem inter utrumque ambiguam, ab uno ad alterum transeuntem.

QUAESTIONES.

I. Indicetur cognatio *typhi petechialis* cum peste inguinaria?

II. Inquiratur illius cum cultu ingenii hoc tempore nexus?

PNEUMONIA TYPHOSA, TYPHUS THORACICUS.

1535—1564.

In Italia primum, in Helvetia dein, tandem in Anglia et Hollandia regnarunt pneumoniae typhosae. Videlicet postquam mors nigra saevierat, exorta est familia typhoidearum pulmonalium, quae et spirandi organa invadebat et genus nervorum. Pneumotyphus, pharyngotyphus, laryngotyphus, scarlatina hujus generis sunt, de quibus pathologiae historicae auctores uberius exposuerunt.

Quae annum 1528. spectant, observationes THOMASII, magnam testantur analogiam cum morte nigra. » Primis duobus mensibus fuit cum febre continua, maxima capitis gravitate, sputo sanguinis et moriebantur infra tres dies. In ceteris mensibus adveniente vere fuit etiam cum febre conti-

nua, apostematibus et pustulis et in quinque diebus homines moriebantur. In fine autem sexti mensis pestis remissa est, quia multi correpti a bubonibus aliisque tumoribus in fine febris evadebant."

Peripneumoniae et pleuritides, seu potius pleuro-peripneumoniae, cum sputo cruento, purulento, deliriis alvique profluviis notantur. Typhum thoracicum nuncupat HAESERUS. Aliis erysipelas pulmonum dicitur. In peste delphensi quoque subito periisse, quibus sanguis e naribus stillabat, aut qui sputo sanguinis adficiebantur, ac si pneumonia pestifera laborassent, animadvertit FORESTUS, simul facta mentione mortis nigrae.

BALLONIUS a. 1570. pleuritides memorat ex sero a capite diffluente, id est catarrhales, sine magna dyspnoea, quae non tam in tumore et phlegmone consistebant, quam in affusione quadam erysipelatode quaeque grassatae sunt autumno: juvabat autem venaesectio. Genius horum temporum epidemicus, qualem in nostra patria observaverat, cognoscitur ex FORESTO, *Obss. Med.* lib. VI. *Obs.* 1. Erat, qui hoc loco describitur, catarrhus epidemius ex illo genere, quos influenzae nomine insigniunt. » A. 1557. m. Octobri morbus epidemius adeo Alcmariae grassabatur, ut integras familias subito invaderet: ita ut intra duas tresve septimanas ex hoc malo in eadem urbe ultra 200 homines extincti sint. Catarrhi instar hic morbus invadebat cum febre admodum lenia, sed maligna etiam,

postea increscente, subitaneam quasi inferens suffocationem, mox repens ad pectus, cum tanta spirationis coarctatione, ut statim aegrotantes mori viderentur. Paulatim vero occupabat etiam praecordia et ventriculum aderatque subinde tussis valida, qua etiam praegnantes aliquae laborantes vel abortum patiebantur, vel subito interibant. — Hic autem morbus tanquam flatu aliquo oboriebatur, cum nebulae densae maleque olentes per aliquot dies prius praecessissent, adeo subito irrepens, ut mille mortales uno fere momento invaserit. — Pauci evadebant, si febris continua eos prehendisset: vix nonum diem attingebant, aut decimum quartum superabant. Quibus ad 17 dies febris protraheretur, hi quidem optime curabantur."

Similis catarrhus epidemicus ab eodem Foresto Delphis observatus est. » A. 1580. circa d. 20. m. Junii et totum Julium m. Delphis publice ac catervatim grassabantur catarrhi, subito dilabentes, una cum febre admodum contagiosa in fauces, guttur et pulmonem irruente, cum vocis raucedine et tussi valida, ita ut integrae familiae subito eo malo corriperentur, licet hic morbus minus periculosus foret, cum plurimi facile evaderent, sanguine quidem statim detracto et medicamento lenitivo hausto. Interea non deërant, qui ex tali catarrho in omnes ex aequo furente in peripneumoniam inciderent. Erant alii multi ex hac febre maligna laborantes ac vocis raucedine tum tussi

valida et catarrho, qui gravem pleuritidem incurrebant. Morbus hic epidemius una cum febre non solum apud nostrates in Belgica, verum etiam in Germania et Gallia passim plurimos occupabat et afflatu quodam ex illis regionibus ad nos devenit, quamquam hic Delphis et in locis plurimis ac nobis finitimis post mensem Julium minus grassaretur. Interea in autumno, potissimum vero m. Octobri et Novembri rursus apud nos reviviscere videbatur: quo tempore etiam plurimi sine v. s. evaserunt: cum vero hyems appropinquet, catarrho contumaciore v. s. profuisse videtur. Quanquam plurimos statim ab initio, quibus sputum sanguinis vel dolor lateris, aut pleuritis accedebat, vel pulmonis inflammatio, v. s. in principio adhibita probe curavimus. — Oportet igitur diligenter distinguere, quibus v. s. conveniat et quibus non. — Ita etiam de pharmaco adhibendo sentiendum est. Quanquam in febribus omnibus pestilentibus substantiam cordis occupantibus v. s. nullo modo prodest. Sed haec febris non ita pestilens erat, quamvis epidemia omnes passim invadens. Hic autem erat morbus epidemius, qui etiam sine peste oriuntur. Erat tamen contagiosus et praesertim malignus. Quidam vulgares in Hagha Comitis (ut audio) se ipsos, tum alios absque medici praesentia, seu beneficio ejusdem, hunc morbum epidemium curarunt, assumpta theriaca cum folio auri et exiguo croco adjecto. Interea

praestat, materiam minuere lenientibus et ea omnia adhibere, quae vera methodus curandi doceat, quam uno calipodio (ut calcearii) aut uno medicamento omnes curare. A vino abstinui; quo largius sumpto vidi febrem in furorem abiisse, aut delirium, vel paraphrenitidem: non obstante, quod in hoc morbo epidemio nunc grassante animadverterim febres magna ex parte lentas, vel mitiores, aut exiguas fuisse (exceptis iis, quae in pulmoniam vel pleuritidem converterentur) quales subinde solent esse pestilentes, ita ut quosdam invenerim vix febricitare, aut sitire. — Quodsi dicas, vinum ob debilitatem virium exhibendum, respondebo, cum virtus praesertim per alia refici possit sine eo periculo, mallem eo non uti: quanquam minime negaverim, pituitosis profuisse, modo simul ob tussim vehementiorem saccharum candi (ut vocant) adjectum fuisset."

Ex hac Foresti nostri relatione non tantum de genio epidemico hujus temporis, verum etiam de ipsius artis peritia judicari potest atque caveri, ne ex iis, quae de sudoris anglici regimine belgico referuntur, iniquam foveatis de artis inter nostrates conditione opinionem.

GARROTILLO. — SCARLATINA.

1598.

Est inflammatio faucium gangraenosa, quae ab ARETAEO aliisque veterum jam descripta, seculo demum decimo sexto exeunte pandemiae more saevire coepit, multis praesertim infantibus funesta. De hac: » in faucibus, scribit ZACUTUS LUSITANUS *Prax. Med. Adm.* Lib. I. *Obs.* 99. ex humoris virulenti affluxu gignuntur carbunculosae inflammationes, quae pestis dirae, aut veneni promptissimi instar, contagio quodam pueros et adultos corripiunt et sacris maleficentissimisque stipatae symptomatis citissimam necem inferre solent. Malum in Hispania non multis abhinc annis frequens. Vulgus medicorum hispano sermone garrotillo nuncupat. — Hoc fuit pressus biennis infans, sanguineus et obesus. Primo die ex catarrhosa defluxione in suffocationem paene incurrit, difficulter respirabat et lac deglutiebat et febre acuta affectus nec plorare poterat. In parte gutturis dextra externa glandulosus apparuit tumor cum dolore multo. Secundo die intra fauces ulcus visum est ad nigrum vergens, quod putrilago et mollities multa comitabantur, et ab ore foetor horribilis prodibat, magnum certe corruptionis completae indicium. Ter-

tio die nullis adjutus auxiliis strangulatus est extinctus. Haec prava tonsillarum ulcera in pestilenti constitutione saepe contingunt, monente Aëtio. Adparent saepe rubore saturato insignita, aliquando alba, maculis similia, cinereo colore praedita et frequenter nigro, quae brevissimo temporis spatio exulcerant, corrumpunt, putrefaciunt et ad gangraenam deducunt." Cf. de *Art. Med.* lib. I. Part. I. pag. 78 sqq. deque prognosi: » fallacissimam esse hujus morbi naturam, monet Heredia, confitentur omnes, ex eo quod paulatim serpit putredo, sine aliquo dolore aut febre sensibili mortificans partes internas, tabe, parvissimis et debilissimis pulsibus, extinctione caloris, refrigeratione extremorum, faciei extenuatione, inappetentia perpetua et molesta mutatione decubitus, somno fallaci et adparente misere aegrotantes interficit; ob quod, licet quae vitiata adpareant in faucibus, aut partibus aliis, in melius mutata conspiciantur, non licet salutem polliceri, quia solet communicari paulatim putredo et gangraena partibus internis."

Utrum angina membranacea huic adfinis sit, inter medicos controversia est. Mihi catarrho epidemico adfinior videtur et tussi quintae. Saltem si historiam consulamus testem, videbimus in epidemiis influenzae, quas descripsit Forestus, cum ex propria, tum ex Tyengii, medici amstelodamensis percelebris observatione (*Obss.* libr. VI.

Obs. 1. et *Obs.* 2. *Schol.*) nec non in *Epidemia* a. 1576. a Ballonio scripto consignata, hujus adfinitatis, eo saltem seculo 16. extitisse complura indicia, ut merito quaeri posset, annon, dum in angina ulcerosa maligna sive garrotillo pestilens cernebatur morbi species, in angina membranacea cerneretur phlegmasia catarrhalis, saepius cum spasmo copulata, ut morbus inter phlogisticum et nervosum genus oscillaret, quemadmodum ejusmodi catarrhales phlegmasiae consueverunt. An vero nulla fuerit inter utrumque morbum, initio saltem societas, equidem non facile dixerim: praesertim si cogito anginas erysipelaceas, quibus ab uno ad alterum genus fit transitus. Etenim si hanc ponamus anginarum seriem: anginam gangraenosam, anginam erysipelatosam, anginam catarrhalem, anginam inflammatoriam; habebimus schema morbi in alias aliasque species mutati, qualem nobis historia epidemiarum obfert. An forsitan angina membranacea renisus phlogisticus in aëris insalubris stimulum? Veniet tempus, quo phlegmasiarum familia omnis ad ejusmodi renisum phlogisticum in potentias nocentes revocabitur: qui si superest, inflammatoria erit morbi facies, si superetur, typhosa aut neurophlogistica.

Anginae erysipelaceae species habetur in angina scarlatinosa, quae post anginam ulcerosam cum scarlatina ipsa pandemia facta est, seculo proxime sequente et quidem ineunte seculo decimo septi-

mo: ita ut cum seculum decimum sextum occidens epidemicam viderit anginam ulcerosam malignam, seculum decimum septimum oriens lustraverit scarlatinam anginosam, erysipelacearum contagiosarum principem.

Si animo a praejudicatis opinionibus libero Foresti nostratis observationes perlegamus, videbimus, ab eo jam exanthemata fuisse animadversa, quae ad scarlatinosum appropinquarent, quamquam ab ipso sub morbillorum nomine describuntur. Regnaverat a. 1557. pestis Delphis. Hanc secuta est epidemia variolosa erantque cum variolis saepe morbilli, in quibus tamen subinde ea symptomata visa, quae magis scarlatinae, quam morbillis propria sunt, inprimis dolor gutturis, angina, alia, quare non miramur Forestum cum Heurnio nostro querentem de difficili morborum cutaneorum distinctione eorumque apud auctores medicos obscura descriptione, quod an auctoribus illis, an naturae debeatur, eo majori jure posset quaeri, quo magis constat, morbos hosce, ut alios quoscunque, in principio longe minus perfectas eas atque expressas habuisse formas, quas habuere deinceps, postquam adoleverant. Cf. *Libr.* VI. *Obs.* 39. et *Libr.* I. *Obs.* 17.

Conferri cum hisce Forestianis merentur, quae notavit Gulielm. Ballonius circa Constit. Hyem. a. 1574. » Quum hyems a. 1574. (cujus pars media incurrit in a. 1575.) austrina fuisset, morbillorum,

variolarum, puncticularum magna ilias fuit. — Maculas saepe in morbis vidimus, in quibus ingens erat aestus partium interiorum et illae aliquando disparent cito, aliquando ad tempus aliquod, sed breve consistunt: fere ad rubeolas accedunt: sed rubeolae diutius manent et sua habent tempora et pathognomonica. Et extus quaedam sunt superficiariae, aliae non ita humiles; item aliquando praecurrunt febrem manifestam, aliquando febris sunt comites, id est, quarto, aut quinto, aut sexto aut alio die apparent: et hae sunt deteriores et pessimae, nisi febris conquiescat.

Haec sunt rubeolarum argumenta, febris modo ad manum mitis, modo acerrima, jactatio et inquies corporis, membrorum confractio, anxietas modo cum vomitu, modo cum nausea, oculi lacrymabundi, propensio in somnum et tamen dormiendi impotentia: et idcirco maxime vix in somnum impendent, quod is facile interrumpatur ob tussim. Inter pathognomonica etiam tussis, oculorum ardor, et flagrantia (ut sic dicam) et raucedo cum jactatione numerantur. Alia assidentia et communia: appetit enim maxime partes superiores malum, et pulmones arteriaque aspera facile patiuntur: unde uvulae inflammatio multis et deglutiendi difficultas, angina quaedam sicca per erysipelatoden phlogosin: suffocatio inde: multis et parotides comites sunt et praecedunt et sequuntur: quae non sunt ita metuenda, si non oriantur per

translationem a partibus inferis, sed tantum per exonerationem ipsius cerebri."

In hisce Foresti et Ballonii descriptionibus imperfecta tantum cernitur scarlatinae forma, neque ab aliis exanthematibus prorsus discreta ac tamquam nascens. In ea, quam continuo subjiciam, Dan. Sennerti, cernitur nata et adolescens. » Est alia species, sed rarior quidem, quam aliquoties observavi; quo nomine tamen ab aliis discernerem, dubius fui. Etsi enim instar erysipelatis totum fere corpus prehendat, tamen non vidi, quod adultos, quod in erysipelate fieri solet, sed infantes solum corripiat. — Maculae rubrae et quasi ignitae, cum vix effatu digno tumore, per universum corpus, quasi quaedam parva erysipelata, erumpunt, in principio, seu morbi die quarto, vel quinto. In statu vero universum corpus rubrum et quasi ignitum apparet, ac si universali erysipelate laboraret. In declinatione rubor ille imminui et maculae rubrae latae, ut in principio, iterum apparent, quae tandem septimo vel nono die evanescunt, epidermide squamarum instar decidente. Malum vero hoc grave ac periculosum et saepe lethale est. Nam calor est ferventissimus, sitis inextinguibilis et plerumque pulmonum (unde tusses excitantur) faucium et aliorum viscerum inflammationes, deliria et alia mala urgent. In declinatione tandem materia ad articulos extremorum transfertur ac dolorem et ruborem, ut in anthriticis

excitat: cutis squamarum instar decidit, mox pedes ad talos et suras usque intumescunt, hypochondria laeduntur, respiratio difficilior redditur, tandemque abdomen intumescit aegrique non sine magno labore et post longum tempus pristinae sanitati restituuntur, saepe etiam moriuntur. Ita observavit Clar. Mich. Doringius affinis et compater meus honorandus, ut literis ad me datis scripsit, puerum quendam Uratislaviae post hunc morbum pedibus, cruribus, scroto, ventre ac facie intumuisse, cum genarum nonnullo perpetuoque rubore, febricula irregulari, tussi, qua pauca eaque spumosa saltem et pituitosa rejiciebat, difficultate respirandi summa." *Opp.* Tom. II. pag. 733. Ed. Paris. Adulta demum atque perfecta forma adparuit scarlatina Breslaviae a. 1700. Cf. Haeser. lib. I. pag. 313. In epidemiis tandem hoc seculo animadversis atque exeunte seculo decimo octavo, symptomata cerebralia eminuerunt.

Etsi non negamus, differre anginam gangraenosam ab angina membranacea et ab utrisque scarlatinam, tamen, historia teste, ad communem referendae sunt constitutionem, quae et febribus contagiosis et anginis et cutis phlegmasiis favebat. Fuit tempus, quo a morbillis vix scarlatina distingui poterat: quo cum symptomatibus catarrhi pectorisque aegri symptomata anginae fauciumque aegrotantium erant conjuncta, quoque ipsi peritiores medici de exanthematum dignotione ardua quere-

bantur. Abhinc magis usque efformari ad perfectum exanthematis distincti typum scarlatina coepit et a reliquis adfinibus formis sejungi: donec tandem adulta sua forma comparuerit.

Garrotillo, scarlatinam et anginam membranaceam revera esse diversos processus morbosos, animadvertistis, utut proventu atque origine convenire videntur. Convenire quidem ratione, quam habent ad officinam spirandi, forma, discrepare, quatenus garrotillo proxime ad characterem venoso-typhosum seculi decimi sexti adtinet. Atque uti constitutio rheumatica per processum miliarem in cute, ut renisus arteriosus, principio typhi erat opposita, ad aequilibrium vitae organicum restituendum, ita ex adverso garrotillo similiter opponi anginam membranaceam et scarlatinam, Quitzmanni conjectura est. Quae comparatio febris miliaris et scarlatinae mihi ingeniosior, quam verior videtur: siquidem de hujus rheumatica indole posset dubitari: quamquam confiteor ei, qui hanc hypothesin defendere cupiat, non defutura argumenta probabilia, inter quae illud non minimum est, quod primi scarlatinae observatores in tumoribus articulorum anthritici quid invenisse sese opinati sunt; quod tamen, si rem perpendatis, ad hydropem calidum ex scarlatina succrescentem potius referendum videbitur, quam ad processum vere rheumaticum, aut rheumatismum articularem.

Illud universe tenendum est: esse in hisce phlogisticis formis processum vitae renitentis conspicuum, qui tamen eo usque non praevaluit, ut characterem nervosum prorsus delere potuerit.

In *Prolegomenis ad Historiam Medicinae* a Quitzmanno editis hoc loco P. II. pag. 164. etiam memoratur Ophthalmia Ægyptiaca, sub nomine opthalmo-typhi. Hunc a lepra orientali repetit cum Eisenmanno creditque sub potestate constitutionis typhosae oculi typhum factum esse. Ex qua auctoris hypothesi sequeretur, initio fuisse ex leproidearum familia, deinceps typhoideis propinquiorem extitisse, ileotypho exanthemate mucosae, consimilem, ultimo rursus ad pristinam formam blennorrhagicam rediisse: non aliter ac syphilis sub constitutione seculi decimi quinti in morbum evasit contagiosum epidemicum exanthematicum; deinde ad pristinam morbi sporadici genitalium formam reversa.

QUAESTIONES.

I. Quo nexu cohaerent morbi epidemici seculi decimi sexti secum invicem et cum antecedentibus?

II. Quid statuendum est de anginis hoc tempore regnantibus, ratione habita scarlatinae?

III. Cur Ophthalmia Ægyptiaca cum peste, cum lepra, cum lue, cum catarrho, cum typho denique a medicis fuit comparata?

FEBRIS HUNGARICA.

1566.

A febribus petechialibus proxime distat febris hungarica. Nomen inde accepit, quod lues haec anno 1566. in Hungaria maxime innotuisse videtur. Nam cum Maximilianus imperator contra Solimannum expeditionem suscepisset ad Camorram, tum primo innotuit hic morbus; postea per totam fere Europam disseminatus est. Maxime tamen adflixit Viennam Austriae, cum per illam fere omnes milites transirent et recolligendarum virium caussa ibi haererent. Nonnulli, inquit SENNERTUS, quem hoc loco secutus sum, morbum ungaricum et febrem petechialem plane pro eodem morbo habent. Sed, ut mihi quidem videtur, non satis recte. Etsi enim petechiae et maculae illae quandoque etiam in morbo ungarico conspiciantur, tamen non semper id accidit et potest hic morbus esse sine maculis. Contra vero maculae in febre petechiali omni inveniuntur: unde et nomen haec febris habet.

Placet morbi historiam ex THOMA JORDANO, cum primum innotuit, descriptam hic addere. » Circa tertiam vel quartam a meridie horam invadebat, cum levi frigore et horrore. Post horae quadran-

tem aestus illum excepit, qui dies noctesque assidue eos detinebat. Querebantur inprimis de capitis dolore. Deinde manu quoque admota ostendebant sub sterno regionem ad cartilaginem mucronatam, ubi orificii ventriculi sedes vulgo creditur: ibi omnibus quaedam renitentia et durities observabatur, cujus etiam attactum non ferebant. Sitis inexhausta primis statim diebus aderat, postridie, ad summum tertio die deliria adveniebant, quae sat diu perseverabant. Exacerbationes erant circa vesperam, et per noctem recrudescebat morbus: lingua erat arida, labia fissa, quibusdam sanguinis sputum superveniebat, nonnullis, materia per alvum evacuata, salutaris crisis accedebat. Pluribus, imo omnibus fere, materia a capite in aures secessionem faciebat: unde surditates eaque sequestrata materia salutis argumentum praebebat. Parotides frequentes erant. Pessima fuit crisis, quibus tubercula in summo pedis oboriebantur, quae scalpendo aperta serpebant, donec negligentibus sphacelus crus occuparet. Salutem recuperabant alii decimo quarto die: licet aliquibus etiam in vicesimum diem sit protracta curatio. Omnes, qui vini potu non abstinuerant, perierunt."

In primis notabile hoc signum erat quodque in aliis febribus petechialibus non reperitur, dolor circa ventriculum ingens, praesertim si summis digitis comprimatur. Nec enim facile quenquam reperies, ut Tob. Coberi verba habent, qui non

manu quasi ducta te ad hunc locum affectum sit deducturus.

Prognosin quod adtinet: si vires non sint dejectae admodum, non infestet leipothymia, aut gravior capitis dolor, a vomitu aut alvi fluxu aeger non debilior reddatur: maculis erumpentibus vomitus aut alvi fluxus sedentur aegerque levetur et praecipue die critico melius habere incipiat et haemorrhagia narium accidat, aegrum convaliturum sperare licet.

Contra si vires subito collabantur, alvi fluxus et vomitus, quibus varii coloris humores foetidique rejiciuntur, perseverent morbusque inde non imminuatur: urinae nigrae, crassae, subito tenues evadant, aut urina retineatur, vel paucior reddatur; si aeger vigilet continuo, vel soporosus evadat, somnum inquietum et terriculamentis plenum habeat, deliret, floccos legat et festucas colligat, convellatur, tremat, tinnitum aurium sentiat perpetuum, oculis apertis dormiat, torvum videat, dentibus stridat, manus pedesque continuo nudet, spiritum altum, frequentem et cum stertore et clangore ducat, atque alia prava symptomata adsint: morbus lethalis et periculosus indicatur.

Curatio optime fiebat per purgantia leniora, subinde et per vomitoria, ultimo per cordialia, bezoardica, sudorifera.

In hoc morbo cernitur transmutatio typhi petechialis in typhum abdominalem. Est nimirum

typhus gastricus, in quo petecchiae nequaquam constantibus et characteristicis signis adnumerantur, neque ad morbi essentiam, ut in febre sive typho petechiali, pertinent, sed magis symptomaticae sunt et accidentariae, dum in cutim intestinalem potius morbi vis se conjiciat et in systema mucosum conversa, in typho abdominali demum in exanthema efflorescat intestinale, minime intacto cerebro genereque nervorum: unde et symptomata gastrica et symptomata cerebralia repetenda ipsaque legitima per evacuantia leniora curatio explicanda.

An ipse hicce typhus gastricus iterum secesserit in typhum abdominalem et typhum cerebralem, ut Quitzmanno aliisque viris doctis placuit, difficile dictu: siquidem de typho cerebrali adhuc sub judice lis sit; nisi ad hunc eos casus revocare velis, in quibus exanthema intestinale suppressum est, eo sensu, quo habetur febris variolosa aut morbillosa sine variolis aut morbillis.

Quodsi typhi vocem latiori sensu accipere cupiatis febresque ita dictas catarrhales nervosas hac voce pariter comprehendere, equidem non repugnabo, esse typhos alios praeter intestinales, sive quorum cum aliis mucosis, sive quorum arctior est cum cute pulmonali cognatio, quorum in numerum non tantum pneumotyphum et laryngotyphum, verumetiam alios complures reciperem. Nam uti plerumque cutis intestinalis aegrotat, ita cutis

pariter non tantum pulmonalis, verum et cutis renum et cutis genitalium et cutis sive mucosa hepatis aliorumque viscerum et glandularum aegrotare prae aliis morbique vim pati posse videtur: quamquam in omnibus morbis typhoideis a sanguine, miasmate, aut contagio quocunque impraegnato, mali principium atque origo est.

QUAESTIONES.

I. Cur febris hungarica ab aliis ad febres petechiales, ab aliis ad typhos refertur?

II. Undenam typhi notio hactenus tam varia est et indefinita?

DYSENTERIA.

1604, 1608, 1623.

Initio seculi decimi septimi saeviit per omnem Europam pestis huicque adfines typhus petechialis et garrotillo eodemque tempore dysenteria fuit epidemica. De ea retulerunt Paschettus Italus et Fontanus Gallus.

Prior *de destillatione, catarrho vulgo dicta* Libr. III: » praesente anno 1604, inquit, extrema aestate et principio autumni grassatae sunt dysenteriae, quales ab Hippocrate describuntur, lib. *de aëre aq. et loc. et* III. *Aphor.* 12. cruentae illae

quidem, dolorificae ex bile et pituita salsa, a capite ad intestina descendente, quae transitu ob suam crassitiem et visciditatem moram trahens intestinorumque tunicis adhaerens, male afficiebat, abradebat et exulcerabat ipsa intestina. Contigit autem hic morbus occasione austrinae constitutionis, quae hyeme et vere viguit, ex qua capita repleta multis humiditatibus pituitosisque excrementis, quae aestate superveniente salsa reddita bileque aestivo calore genita, permixta, pepererant difficultates intestinorum, tenesmos, dysenterias, quae plures feminas, quam viros torquebant, quod illae humidiores essent. Et ego fateri possum, plures me hoc morbo laborantes curasse, plerasque feminas et omnes integrae sanitati restitutas. Quibus praeter medicamentum leniens paulo adstringens et corroborans, initio morbi exhibitum, nihil praeterea, quod adstringendi facultatem obtineret, praecepi, usus scilicet per os et per alvum abstergentibus, refrigerantibus et quoquo pacto dolorem lenientibus. Ideo omnes evaserunt, quod quibusdam aliis medicis non contigit, qui statim ad adstringentia confugiebant."

Et Fontanus in morbi naturam inquirens: » potest etiam dysenteria, scribit, emanare a tumoribus praeter naturam in intestinis procreatis, quae ad ulcerosam referri potest. Periit filius meus Honoratus, novem annos natus, dysenteria ab ulceribus, orta ex tumoribus intestinorum; cum hu-

jus locus esset nobis ambiguus et symptomatum causae penitus ignotae, demortui corpus secandum curavimus a Magistro Petro Bontamper, Chirurgo Aquensi docto et probo, qui invenit a principio coli intestini ad finem usque recti plusquam ducenta ulcera rotunda, mixta cum apostematibus, quorum ulcerum aliqua corroserant totum intestinum; illis ulceribus interjaciebant partes aliquae intestinorum sanae et integrae. Anno supra millesimum sexcentesimo octavo m. Augusto nata est dysenteria in puero consiliarii du Perier, quae per intervalla excitabatur, quam suspicabar a punctura vermium nasci, quorum quantitas admiranda fuit inventa in ejus intestinis post dissectum ejus cadaver, nec mirum cum viderent intestina reduplicata a vermibus. De dysenteria hepatica dictum fuit capite de hepatitide. Ulcus intestinorum generatur ab erosione humorum acrium, in qua diversi sunt gradus notandi, ratione varia intestinorum: primo namque pinguedo raditur: secundo excrementa intestinorum expelluntur: tertio caro propria intestinorum educitur. In hac dysenteria cum ulcere affectus locus est diversus: aut enim tenuia exulcerantur intestina, aut crassa, in superiori supra umbilicum, aut in inferiori sub umbilico: quae deprehenduntur de situ doloris, tum de mixtione faecum. Nam si cum excrementis sanguis aut pus valde misceantur, ut adsit dolor circa umbilicum, in gracilibus exul-

ceratio subest: si vero non valde misceantur, in crassioribus latet, situs tamen doloris peritis anatomicis indicat locum affectum proprium. Dysenteria illa, quae vitio jecoris obtingit, obsessae partis praestantia magna est, cum symptomatum magnitudine. Quae vero ab ulcere pendet, symptomatum tantum magnitudine magna censenda, ut dolore, vigiliis, et praesertim atrabilaris, quae maligna est, tum fere omnis, quae ab ulcere excitatur."

Citatur etiam Carolus Piso, cujus librum de dysenteria inspicere non licuit, et van der Heyde et alii pariter ignoti, quibus et Sydenhamum notissimum jungere oportet, qui Londini a. 1669—1672. dysenteriam post pestem a. 1665—1666. sequi vidit, cujus naturam erysipelaceam fuisse pronuntiat Quitzmann: qui genius erysipelaceus, cum rheumatico consociatus, genium typhosum oppugnasse atque vicisse huic dicitur. Ipsum autem miror scripsisse, non posse effici characterem epidemiae dysenteriae ab Sydenhamo relatae ex Sydenhami ipsius descriptione, quum si placuisset commentari ac legere, quae de febre dysenterica eorundem annorum adnotavit, de hac re non dubitavisset. Nam, postquam monuerat, febres stationarias etiam constitutionis annuae potestatem experiri, unde fit, ut dictae febres variis symptomatibus novis stipentur, praeter illa, quae eis sunt propria, quatenus ab ejusmodi constitu-

tione generali procreantur, quae symptomata per breve tantum tempus perseverant: haec subjecit: hoc tum in aliis liquebat febribus, tum magis peculiariter in dysenteriis m. Julii 71 et 72, in quarum priore vehemens aegritudo et bilis aeruginosa cum magna in diarrhoeam propensitate sub morbi finem continuo observabantur; in posteriore doloris sensus in partibus corporis musculosis, artubus maxime ad rheumaticorum fere dolores accedens. Faucium insuper inflammatio, mitior tamen, quam in angina laborantibus: quibuscum si copules dysenteriae exitum in aphthas aut gangraenam, intelliges, morbum fuisse: *erysipelas intestinorum rheumaticum*, quale vulgo dysenteria fuisse videtur.

Sic evolvebatur seseque explicabat (pergit idem) hodiernus character processus dysenterici, non quidem per miasma quodcunque, sed ex serie metamorphosium vitalium, quae ipsa tantum ex evolutione physiologica recte intelligi potest. Quod autem dysenteria magis usque symptomatibus nervosis stipatur, illud proculdubio non ex processu erysipelaceo pendet, sed ex evolutione organorum vitae animalis ac typo physiologico nostri aevi.

QUAESTIO.

Quo nomine dysenteria ab aliis catarrhus, ab aliis rheuma intestinorum, ab aliis denique erysipelas, aut vel colitis adpellatur?

INFLUENZA.

a. 1658.

Catarrhi epidemici crebro in annalibus medicis commemorantur. Neque tamen satis perspicuum est vinculum, quo cum reliquis morbis popularibus continentur. Saepe praecessisse videntur, tamquam harum praenuncii, graves epidemias. Verum cum nullo febrium genere arctius cohaerent, quam cum gastricis, quae vocantur, et intermittentibus. Hunc nexum vidit indicavitque Th. Willis Anglus, tradens febris catarrhalis a. 1658. historiam. » Novissimae aestatis calorem immodicum hyeme insequente, aeque intensum gelu excepit; adeo ut similem huic annum, propter utrumque tum aestus, tum frigoris excessum, haud quisquam modo viventium facile meminerit. Ab Idibus Decembr. fere ad Æquinoctium vernum, erat tellus nive obtecta et a Borea jugiter sufflante cuncta sub dio posita constanter obrigescebant: etiam postea ab initio veris fere ad Calendas Junii eodem vento adhuc spirante tempestas erat brumae, quam veri similior; nisi quod interdum die forsan uno aut altero praefervido intercalaretur. Durante hyeme inter nostrates (nisi quod febris quartana in autumno contracta quosdam infestaret)

status erat mediocriter salubris, a populari quovis morbo immunis.

Ineunte vere febris intermittens tertiana, uti quolibet praeterea anno assolet, nonnullos incessit. Circa finem Aprilis derepente emicuit affectus, qui velut afflatu quodam a syderibus immissus quamplurimos una corripuit: ut in quibusdam oppidis, unius septimanae spatio, plusquam mille homines simul decumberent.

Symptoma hujus morbi pathognomicum et quod primo aegrotantes invasit, fuit tussis molesta cum sputo copioso, nec non catarrho in palatum, gulam et nares decumbente, adest etiam intemperies febrilis, quae cum calore et siti, inappetentia, lassitudine spontanea et dolore gravativo in dorso et artubus utplurimum conjungitur; quae tamen febris in nonnullis erat remissior, ut foras obambularent et circa consueta vitae munia toto aegrotationis tempore occuparentur, interim de virium defectu et languore, cibi fastidio, tussi, et catarrho querentes: in quibusdam vero calida intemperies plurimum emicabat, ut lecto affixi, ardore et siti ingenti, vigiliis, raucedine ac tussi fere continua molestarentur; interdum haemorrhagia narium, in aliquibus sputum cruentum et non raro dejectiones sanguinolentae huic affectui supervenerunt.

Qui corpore infirmo praediti, aut provectae aetatis homines hoc morbo corripiebantur, haud

pauci interibant: robusti autem et constitutionis sanioris fere omnes convalescebant; qui huic morbo succumbentes interibant, plerumque ob vires sensim labefactatas et colluviem serosam magis in pectore coacervatam, cum febre adusta et respiratione difficili, instar febre hectica laborantium emoriebantur."

Caussam morbi posuit WILLIS, nec male, in sanguinis vernali instauratione, propter effluvia intus cohibita laesamque cutis functionem impedita.

De therapeia monet: morbi levioris curam utplurimum naturae relinqui, cujus beneficio per sudores judicari solet. Morbo contra in pejus evecto, et intemperiem febrilem respiciendam esse per sanguinis missionem et affectionem rheumaticam per diaphoretica atque thoracica sive pectoralia remedia: nec tamen per quaelibet expectorantia hoc consilium recte consequi posse medicum, sed ejusmodi tantum esse admittenda, quae febrem minime intendunt.

De caussa naturaque morbi nuper dissensio fuit: alii contagiosum, alii miasmaticum, alii denique exanthematicum esse mali genus contenderunt.

Esse pandemiam europaeam cum evolutione officinae spirandi conjunctam, quae a medio usque aevo praesertim mundana fieri incepit inque tempora recentiora perrexit; indicio utrasque periodos eodem typo physiologico copulari, ita tamen ut cum prius magis inflammatoria esset influenzae na-

tura, nuper magis gastrica et nervosa facta sit, Quitzmanni placitum est.

De hoc Quitzmanni-placito monendum est, differre non tantum pro temporum, sed etiam pro locorum natura hujus catarrhi epidemici characterem: id quod in *Diss. inaug. de Const. Epidem. Doctrina* indicavi.

Equidem censeo, omnem catarrhum esse naturae renisum, in aërem praesertim, dotibus suis peccantem omnemque esse phlogisticum: sive simplicem purumque, quod raro, sive compositum et impurum, quod vulgo. Nunc vero magis thoracicam, nunc contra magis abdominalem mucosam prehendere. Quodsi per hunc renisum turbae non componantur, neque cutis functio redintegretur, suscitari febrem: id est morbum sanguinis, in cujus societatem si veniat genus nervorum tum plasticorum, tum spinalium, exsurget intermittens, aut tertiana vernalis, aut quartana, quotidiana autumnalis, de quarum indole ac ratione jam sequitur proxime, ut exponam.

QUAESTIONES.

I. Quid statuendum est de caussis naturaque catarrhi epidemici sive influenzae?

II. Quid docet historia epidemiarum catarrhalium vario aevo?

INTERMITTENTES.

1657—1695.

Post catarrhum illum epidemicum, cujus a Willisio mentio facta est, quae praecedente anno 1657. grassata erat intermittens, iterum rediit multumque saeviit in Angliâ. Lubet igitur eam breviter describere, initio facto a febre epidemica a. 1657.

Ver novissimum atque inde succedens tempus (sunt verba Willisii, hujus temporis morbos tradentis) usque ad finem aestatis, scil. totum hoc semestre spatium aestivum, fervores adeo intensi per plures hebdomadas insequuti sunt, ut dies et noctes nullus non quereretur de aëris calore et fere continuo sudore quo maderet, quodque libere respirare non liceret: circa calendas sextiles haec febris primum sporadica, in quibusdam locis erumpere coepit, ut forsan unus, aut alter hominum, in urbe aut vico eadem corriperetur: in plurimis tertianae typum imitata est, scil. diebus alternis paroxysmi redierunt: qui tamen sine frigoris, aut rigoris prooemio, cum calore intensissimo aegros infestarunt; vomitus et dejectiones biliosae in plerisque copiose evenerunt, sudore nonnisi difficili et saepe interrupto succedente, quo febrilis accessio raro in apyrexiam solvebatur: quin toto

interstitii tempore cum siti et inquietudine languidi et imbecilles aegri manserunt: in quibusdam cum res in melius vergeret, post tres aut quatuor paroxysmos, frigus et rigor accessionem inchoabant et febris exacte tertiana intermittens facta est: in plerisque autem morbus usque in deterius cessit et statim mali moris et difficilis solutionis, cum pravo symptomatum apparatu evasit: cum enim aegri in paroxysmis summe incalescerent et difficulter sudarent, errores committi solebant, qui morbi vires quotidie intenderent: quippe ob aegrorum impatientiam et ministrantium imperitiam, sudore, qui accessionem febrilem finire debuerat, interrupto, post unum paroxysmum vix finitum, statim alter successit, indeque morbus periodos vagas et incertas sine apyrexias intercessu habere et postea in febrem veluti continuam transire solebat. Cujus status aliquando valde periculosus, cum mala cerebri et nervosi generis affectione, fuerat, ut non raro lethargus, saepe autem spasmi et motus convulsivi excitarentur: circa mensem Augusti haec febris longe lateque in populum grassari coepit, ut in nulla non regione et vico plures ex eadem decumberent; erat tamen ruri et in villis minoribus longe frequentior, quam in urbium aut oppidorum confiniis. Usque febris intermittentis typum referebat, nisi quod paroxysmorum atrocia et intermissionis brevitate, solito infestior visa sit; ideoque morbus novus passim vocabatur: in-

super malignitatis cujusdam subibat notam et certa satis contagii atque perniciei suae documenta dederat: in quantum de domo in domum serpebat pluresque ejusdem familiae et praesertim cum aegris familiarius versantes eadem labe infecit: quinetiam senes ac maturae aetatis homines passim e medio sustulit. — Esse hanc febrem de intermittentium genere vel hinc constare videtur, quia plurimi ex eadem convalescunt, ut aegrotantium vix millesimus intereat, quod de synocho epidemica vix auditum censeo. Differt autem haec febris a vulgari intermittente: quod circa morbi initia paroxysmi sine frigore aut rigore incipiunt, sed cum vomitu atroci, siti et calore intensissimo aegros diu affligunt: quibus sudor aegre plerumque et partialis ac saepe interruptus succedit, quo accessio non nisi longo tempore finitur. Tum quia post finitum paroxysmum non datur plena intermissio usque ad apyrexiam, quia aegroti usque manent languidi et sitibundi, quoad appetitum, somnum et caetera accidentia se male habentes. Denique quod facile per contagium in alios subinde propagatur."

Haec brevis relatio febris intermittentis catarrhum epidemicum a. 1658. praegressae, quae utut anomala, minus recte tamen perniciosa adpellari meretur.

Jam accipite, eodem Willisio referente, quae fuerit febris eam secutae ratio.

A quo desiit, fere ad occasum caniculae, fuit status salubris et morbi cujusque popularis immunis; deinceps vero pauci, primo in villis, ac vicis minoribus sparsim aegrotarunt.

Postea autem circa finem m. Augusti febris nova derepente exorta per totas regiones undequaque in vicinia nostra grassari coepit, haec etiam, prout altera, quae novissimo autumno increbuit, in pagis et villis rusticanis praecipue desaeviit: interea tamen urbium et oppidorum majorum incolae rariores decubuerunt. Eodem tempore in aliis regionibus procul hinc dissitis, imo per totam fere Angliam febris epidemia grassari ferebatur; etiam in aliis quibusdam locis longe crebriora funera, quam hic inter nostrates audiebantur.

Circa prima hujus morbi initia fuit typus vagus et valde incertus, quippe in nonnullis aderat effervescentia continua, in aliis intermittens et paroxysmis statis interpolata; quam plurimis vero aegrotantibus velut symptoma hoc tempore pathognomicum accidit in cerebro et nervoso genere se male habere, ut statim a febris hujusce primordiis de capite graviter affecto fere omnes quererentur: quippe alios cephalalgia immanis, alios gravitas auditus cum tinnitu aurium infestarunt: plerisque vero aut torpor et somnolentia gravis cum affectu vertiginoso, aut vigiliae pertinaces cum delirio et spirituum animalium distractionibus accidere solebant. Observavi in nonnullis, quod

primo aut secundo aegrotationis die maculae latae et rubicundae morbillis similes in toto corpore sensim eruperint, quibus brevi postea evanidis, febris statim intensior et praecipue affectiones capitis longe graviores evaserunt. Exinde quosdam torpor sensuum et somnolentia per plures dies incesserunt, ut sine loquela, aut amicorum notitia velut moribundi diu jacuerint. Novi alios hinc in lethargum aliosque in apoplexiam conjectos, quosdam in deliria et phrenesin incidisse. Ex his juniores et robustae aetatis homines (non sine diuturno tamen languore et dubia convalescentia) complures evaserunt; interea senes, alias imbecilles ac invaletudinarii passim interibant. Qui febre velut continua cum istis malignitatis notis decubuerunt, rariores et in quibusdam tantum aedibus sporadice affecti extiterunt. Quae vero in nostra vicinia aegritudo communissime grassata plurimos incessit atque etiamnum graviter desaeviit, typum febris intermittentis, scil. aut tertianae aut quotidianae imitari videtur. — Hoc tamen plerisque, (paene dixerim omnibus) commune est, una cum hac febre affectibus cephalicis male plecti.

Cum itaque hoc morbo quispiam afficitur, dolor in capite et non raro in lumbis, cum siti, inappetentia, lassitudine spontanea ac calore, licet minus intenso, ejus adventum produnt: si in corpore juvenili sanguinis floridi et temperamenti calidioris accidat, circa ejus initium paroxysmi frigore aut

rigore carent, aestu tamen et diuturno acri sunt plurimum molesti, aegri vomitu saepe tentantur iisque caput plerumque immaniter dolet; sudor difficulter succedit, qui saepe partialis ac cito interruptus paroxysmum raro solvit, quin cum sudare desierunt, denuo incalescunt, ut vix intra horas 18 aut 24. quibusdam accessio finiatur. Interim a cruore admodum effervente phantasia perturbatur, ut saepe delirium, fabulatio absurda, vigiliae et summa inquietudo, durante paroxysmo, concitentur; eodem vero finito, interstitii tempore, adhuc sitis molesta, calor lentus, virium languor et spirituum magna debilitas, cum cephalalgia et affectu vertiginoso plerumque infestant. Raro inveniuntur, qui prout in tertiana communi, accessionum intervallis se mediocriter habent.

Circa morbi principia exacerbationes febriles paulo mitiores existunt, quae postea qualibet vice sensim ingravescunt et dein cum rigore aut frigore incipiunt; cui tamen post aestum diuturnum et valde molestum sudor aegre in plerisque succedit, ita ut paroxysmus raro in temperiem debitam finiatur. Intra sex aut septem periodos aegrotantium vires plurimum atteruntur, ut languidi et imbecilles facti difficile habeant pensum, cum morbo colluctari: quippe nisi ab arte naturae succurratur, febris usque praevalet et raro aut nunquam intra breve tempus aut crisi solvitur, aut sensim remittit, quin affectos diuturna obsidione

in summas angustias adducit: unde spirituum torpor et stupiditas, somnolentia, vertigo, aurium tinnitus, tremores, motus convulsivi.

Qui senes, melancholici, aut alias invaletudinarii in hanc febrem incidunt, a primo ejus insultu statim torpidi et plerumque vertiginosi evadunt ac cum majori vitae periculo decumbere solent. Urina in plurimis intense rubicunda est, coloris saturati magis et consistentiae crassioris, quam in tertiana communi. — Raro accidit in hac febre, ut quispiam moribundus memoria et intellectu valeat. Quos vero e languore summo et statu fere deplorato evadere contingit, diu vacillantes, torpidi, enerves jacent, ut nonnisi post dubium et difficile certamen natura tandem vix quidem morbo potior extiterit et dein lenta ac diuturna convalescentia vires gradatim recuperet.

Fuit febris intermittens, tempestatis praegressae anomaliis attribuenda, typi varii, a qua correpti protinus malas capitis affectiones patiebantur ac post unum aut alterum paroxysmum valde imbecilles vix pedibus stare, aut absque sustentaculo ambulare valebant.

Praesertim vomitoria, digestiva et vesicatoria commendata sunt ad nervos excitandos et capitis mala levanda: si ex torpore, somnolentia, vertigine, cephalalgia constet, eos hebescere, praeter remedia superius tradita et imprimis vesicatoria conduxisse feruntur medicamina sale volatili re-

ferta: ab opiatis vero lethargus aut altus stupor metuendus."

Cum his Willisii observationibus consentiunt observationes Sydenhami post triennium factae. Etenim hic constitutione epidemica primo descripta anno 1661—1664. regnasse tradit febres intermittentes autumnales mali moris, in quibus paroxysmus atrocior, lingua magis nigra siccaque, extra paroxysmum apyrexia obscurior, virium et appetitus prostratio major, major item ad paroxysmum geminandum proclivitas; omnia summatim accidentia immaniora ipseque morbus, quam pro more febrium intermittentium, funestior. » Subsecuta est febris continua ab intermittentium autumnalium genio in hoc tantum abhorrens, quod hae statis solum temporibus, illa continenter urgebat. Etenim eodem ferme modo aegrotos adoriebantur, qui utrisque pariter vehementer laborabant, vomituriebant, cum partium externarum siccitate, siti, linguae nigredine; et sudoribus sub morbi finem materia morbifica in utrisque promptissime exterminabatur. Atque haec unica fuit continuae febris species usque ad annum 1665, quae autumnalibus sive tertianis, sive quartanis post autumnum vela contrahentibus jam inclementius debacchabatur ad usque ver, quo tempore febres intermittentes vernales succedebant: quibus ad calendas Maji pariter fatiscentibus, variolae hinc inde sparsim se ostendebant, quae denuo

ad conspectum epidemicorum autumnalium terga dabant victoribus. Hoc ordine morbi epidemici integram hanc aëris constitutionem pervadebant et se mutuo insequebantur."

Comparantes SYDENHAMI relationem cum ea MORTONI aequalis, intelligetis, quantum in hujus doctrinam medicam vim habuerit nota hoc tempore cort. peruviani ad febres debellandas efficacitas. Is enim proteiformem febris intermittentis genium miratus, ab anno 1658. usque ad annum 1691. principem inter febres locum intermittentibus harumque cognatis remittentibus periodicis tribuit. » Febris unica epidemia, inquit (*Append.* p. 242.) quam singulis autumnis jam per quatuor lustra annorum solenniter repullulare observavi, fuit vere συνεχής simplex et quae cortici tempestive exhibito semper cedere solebat. Neque constitutio variolosa, erysipelatosa, scarlatinosa, rheumatica, anginosa, pleuritica, vel si quae sit alia, in una vel altera anni tempestate grassata, adeo venenum autumnale mutavit, ut febris epidemia in tot annorum decursu a typo solito quicquam deflecteret, aut novo diversoque tenore procederet."

Hujus pariter symptoma habuit dysenteriam, tunc temporis saevientem, quin et spem fovit, pestem febrifugo feliciter oppugnandi.

Atque ab eo inde tempore nata est illa febrium intermittentium larvatarum doctrina, quâ utut MORTONUS multique post eum abusi sunt, tamen

quantopere tunc viguerint febres illae quamque longe lateque dominaverint, manifesto adparet.

Nolite putare, in Anglia duntaxat saeviisse hoc tempore intermittentes perniciosas. Nam ALPHONS. BORELLUS vir celeb. in epist. ad MARC. MALPIGHIUM data memorat morbos epidemicos a. 1661. Pisis grassantes: qui (sic scribit) communiter incipiunt habentes typhum febrium tertianarum simplicium, cum capitis stupiditate, dolore stomachi, oris amaritudine; in septimo febris non intermittit, in undecimo fit maligna et quibus alvi fluor non succedit, ante vel post decimum quartum diem moriuntur." *Opp. Malp. Posth. m.* pag. 106 sq.

Neque in patria nostra defuerunt morbi consimiles. Testis sit febris epidemia, Lugd. Batav., ann. 1667. plures adfligens, quam febrem, referente viro cl. SYLVIO DE LE BOE *Opp.* pag. 794, intermittentem fuisse et quidem tertianam in principio simplicem ac mox duplicem, patet e paroxysmis alternis diebus recurrentibus. Erant autem symptomata hujus febris sequentia: anxietates summae atque dolores circa praecordia, nausea, vomendi conatus inque non paucis vomitus primum pituitae, hinc et bilis. Per paroxysmos excitabatur in plerisque primum frigus in variis corporis partibus, aliquando sine, aliquando cum tremore corporisque universi concussione; succedente postmodum calore eoque diverso, nunc leviore, nunc graviore, sive sponte sequeretur sudor aliquis, sive

nullus nisi arte paratus prodiret. Sitis plerisque fuit molesta, lingua multis arida, non paucis eruperunt aphthae, capitis dolor in multis fuit gravis, quem alii neutiquam senserunt. Vigiliae multis molestae, paucis somnus aut somnolentia. Dolor in regione lumbari multis fuit gravissimus, paucis nullus. Alvi adstrictione laborarunt aliqui et ejus fluxu eoque vario alii: adeo ut aliqui etiam dysenteria laborarint. Urinae fuerunt variae, in plerisque rubicundae, aliquando clarae, aliquando cum satis multo sedimento, ut et turbidae. Pulsus in omnibus frequentior et in multis satis robustus et magnus, in aliis contra debilior et minor. Pauci ex hoc affectu perierunt, plerique tamen diu eodem fuerunt vexati et segnius curati. Observavi autem in plerisque cepisse hanc febrem epidemicam a tertiana simplice, quae paulo post mutata est in duplicem; atque in principio quidem in plerisque paroxysmos fuisse tum leviores, tum breviores ac sensim redditos tum graviores, tum longiores; adeo ut tandem continue aegri laborarent febre, quamvis non putem dicendos ideo laborasse febre continua.

Febris igitur epidemica, quae hoc tempore nos afflixit, intermittens fuit, et quidem tertiana tum simplex tum duplex. Quam vero in nonnullis observavi continuam, eam non primariam, sed secundariam duntaxat, hoc est ex praecedente intermittente ortam fuisse, existimo." Hactenus SYLVIUS.

Jam si cogitetis, et Mortonianas exeunte seculo decimo sexto factas observationes et TORTI eodem tempore traditas, si cogitetis emendatam hoc tempore, TORTO maxime auctore, pyretologiam, si quae MORGAGNUS de iis memoriae prodidit quaeque retulit RAMAZZINI, si editas proximo seculo ineunte WERLHOFFII historias reputetis, dubium superesse nullum poterit, hac periodo regno potitas esse intermittentes per omnem Europam.

Atque RAMAZZINI constitutiones epidemicas Mutinenses referens, praecessisse docet ingentes pluvias inundationesque magnam febrium segetem, quae typo tertianario per totum ver perseverarunt, accedente vero aestate in duplices tertianas conversae sunt, stipante magno symptomatum satellitio, veluti vomitione, anxietate, capitis dolore, vertigine, in nonnullis stupiditate, in aliis mentis emotione etc. Perstitit autem appetitus ac revera hujusmodi febres fuere magis famelicae, quam siticulosae. Magna pars medentium ad peruv. cort. sacram anchoram confugerunt, at parum prospere. Anno altero saluberrimus fuit. Desiit autem haec febrium intermittentium epidemia in typhum petechialem, quae sub variis licet anni tempestatum conditionibus, per annos 1692, 93 et 94. perennavit, unde (rem observante RAMAZZINIO) liquet, quam parum firmo talo stet illorum opinio, qui ex manifestis aëris qualitatibus putant satis explicari posse epidemicorum affectuum genesin ac indolem. (pag. 108.)

Eodem fere tempore apoplexiae in Italia regnasse feruntur epidemicae, id quod scripto consignavit Baglivius *Opp.* pag. 693. » Proximis his duobus annis 1694 et 1695. (sic refert) non solum in urbe, sed per universam pene Italiam non exigua hominum pars apoplexia periit et adeo frequentes erant funesti hujus morbi casus, ut instantis mortis horrorem singulo fere momento viventibus incuterent. Epidemicae hujus apoplexiae caussa peti juremerito posset ab insueta illorum annorum aëris intemperie. Aestas anni 1693. erat adeo exurens, ut squallore et siccitate omnia consumi viderentur; subingrediente anno 1694. frigora summopere intensa coeperunt et insueto Italiae more, gelu, nivibus et glacie tempestas saeviebat. — Quae subsecuta est aestas multo fuit ardentior superiore et per continuos quinque menses nullae pluviae apparuerunt, hae autem coeperunt circa Kalendas Octobres et flantibus semper austris continuarunt usque ad mensem Aprilis hujus anni, quo haec scribo, 1695, tantaque copia ceciderunt, ut post hominum memoriam visae non fuerint uberiores; nam post 15 dies pluviarum vix duo serenitatis apparebant, quos statim copiosiores imbres subsequebantur.

Per has igitur insuetas annorum constitutiones apoplexiae supradictae saevierunt. Praeter illas tamen occasionem quoque dare potuerunt morbo moerores et domesticae curae, omnibus paene com-

munes ob calamitosissima haec tempora, quibus per continuum septennium universa Europa bello adhuc ardet crudelissimo et vix post orbem conditum audito. — Porro halitus maligni a tot terrae motibus (quibus ab a. 1687. usque adhuc concussa fuit Italia) excitati epidemicae huic apoplexiae fomitem praestare quoque potuerunt. — Terra pluribus in locis aperta est et oppida fere decem omnino conciderunt. Per totam Europam terraemotus etiam his annis divagati sunt."

Quales tandem fuerint hae apoplexiae quaeri, nec sine caussa, posset: an sanguineae, an nervosae cumque intermittentibus junctae. Ad quam quaestionem solvendam facere forsitan posset consimilis observatio Morgagni de pari apoplexiae frequentia a. 1729. sub pari anni tempestatum conditione, quae proculdubio sanguinea fuit. Cf. *Epist. Anat. Med.* III. Art. 11 et 13. Quibuscum conferenda sunt quae circa eandem rem a. 1708 sq. notavit Joh. Mar. Lancisius de subitan. mortibus Lib. II. cap. 2. m. pag. 90 sqq.

Deque ejusdem temporis morbis Jo. Mar. Lancisius de noxiis, palud. effluv. lib. II. Epid. I. cap. 1. haec scripsit. » Autumnus a. 1694. saepe magnis imbribus meridionalium ventorum flatibus udus extitit, quamobrem tellus jam erat humida, cum Tiberis propter magnam vim aquae bis auctus est. — Accessit frequens afflatus vulturni austrinorumque ventorum, qui a medio Majo usque ad

Septembrem ejusdem anni 1695. identidem recurrentes non tantum deteriori putredine immotarum aquarum, verum faciliori quoque sublimationi ac delationi malignorum effluviorum non in vicinas duntaxat aedes, sed etiam usque ad finitimas adversasque regiones ansam praebuerunt, unde per ea loca immanis orta fuit epidemia febrium, quas medici communiter vocant malignas, perniciosas ac pestilentes; nam contagione quoque serpere visae sunt. Hae per omnem aestatem ad idus usque Octobris vagatae sunt. Atque aliae quidem intermittentes primum, sed omnino perniciosae tertianae eaeque frequentissimae extiterunt; aliae vero, sed infrequentiores, statim videbantur continuae, pestilentem pariter naturam prae se ferentes. Priores principio tertianae simplicis raro duplicis typum servantes, quinta plerumque die in continuas versae, aegros non raro septimam inter et undecimam jugulabant, paucis hercle ad decimam quartam pertingentibus.

Hoc autem modo pestilentes ejusmodi tertianae corripere atque increscere solebant. Primo facies a noxiis effluviis subflava reddebatur. Subinde ab inappetentia cum gravativo capitis dolore rigor ingens repente corripiebat, cum vomitu non solum pituitae ac bilis, sed etiam vermium; denique, calor et sitis e vestigio urgebat. Saepe febris duobus primis paroxysmis effuso sudore ita remittebat, ut infirmi ab omni se penitus malo immunes pu-

tantes secunda, immo quarta etiam die non modo surgere, sed interdum in publicum prodire visi fuerint. Verum interea temporis urinis croceis, crassis, subjugalibus redditis, febris quinta die novo rigore cum ingenti praecordiorum anxietate ac jactatione in tantum crescebat, ut lippis etiam ac tonsoribus naturam continuae et morem perniciosissimum ostenderet. Caeterum lingua erat arida et subobscura; verum accedente mentis motione, nulla utplurimum querela sitis audiebatur; pulsus varii, saepius parvi atque inaequales; artus frigidi, pusillis convulsivis motibus omnino inconstantes; papulae in cute lividae, facies cadaverosa, frequentes leipothymiae, venter elatus, tensus, ante delirium dolens ac frequenter post sextam pallido-biliosis et foetidissimis, non raro etiam cruentis liquaminibus solutus. Lumbrici ab ipso morbi principio magna copia, plerumque mortui, per sedem etiam deturbabantur. Denique gravi cum sopore, algido sudore, urinis tenuibus factis, parotides erumpebant ac septima, vel nona die, raro undecima plerosque aegros, priusquam opportuna inventa esset medendi ratio, suffocatos de medio tollebant.

Febres vero, quae initio ideam continuae pestilentis ostendebant, rarae admodum fuerunt atque in iis duntaxat civibus spectabantur, qui paulo longius a fossis positi meliori tum victus ratione usi sunt, tum vultus colore praediti, innoxiorum

humorum speciem antequam aegrotarent, exhibuerunt. Invasionis autem modus erat cum levi utplurimum horripilatione, magno gravique capitis dolore, inappetentia, oris amaro sensu, atque minori quam in tertianis ad vomitum propensione; deinde excitato ingenti aestu dolor capitis augebatur; mox continua persistente solumque pomeridianis horis crudescente febri, cum pulsu magno potius, quam parvo, peticulae ad cutem rubrae, subinde livescentes erumpebant. Augebatur malum quarta die cum vaniloquio et sopore, accedentibus primum levibus jectigationibus, subinde apertis convulsivis motibus, cum lingua arida et facie aliquantulum rubra lotioque nunc subjugali, nunc tenui; sanguis e naribus post sextam larga copia non inutiliter multis effluxit. Per alvum interea circa septimam biliosa cum paucioribus, quam in tertiana, vermibus erumpebant. Tandem supervenientibus utplurimum parotidibus auctoque sopore, multi apoplectico modo decedebant, nona vel undecima die, frigidis sudoribus magna copia ab universo corpore exundantibus. Paucissimi interim naturae ope servabantur, vel crassarum urinarum copia, vel conversione in alium morbum, scilicet in dysenteriam, aut quartanam: licet postea, inventa curandi ratione, multi pristinae valetudini fuerint restituti.

Praesertim duo auxilia huic malo comperta sunt utilissima: vesicantia nimirum et cortex chinae chinae, quae opportune adhibita jure ac merito

specifica medicamenta perniciosarum ejusmodi febrium dici poterant, cum salus multorum iisdem constiterit.

Vesicantia primo cruribus, quinimmo etiam femoribus, deinde brachiis atque occipiti, cum affectio comatosa urgere coepisset, adhibebantur. Porro singularem ac paene incredibilem opem, si propere admota fuissent, aegrotis attulerunt.

Alterum praesidium peculiare ac specificum fuit china china, minime adulterina, quae tamen ante tertiam, vel saltem quartam diem in perniciosis tertianis exhibenda erat. Nam si cui propter incuriam, vel serum medici adventum tardius propinabatur, ejus salus plerumque desperanda. Dosis chinae singulis vicibus non excedebat scrup. 2. vel dr. j. sed bolaris formula prae aliis experimento probata est. Ita sane pernicies febris, quae praecordiorum anxietate, extremorum algore, comate et convulsivis motibus ad augmentum properabat, hoc potissimum remedio anteverti solebat. Parabantur itaque boli cum scrup. 2. cort. chinae chinae et gtt. vj. ol. Matthioli, addito ab aliquibus etiam scrup. diascord. Fracastorii: hi vero donec morbus evigeret, nim. usque ad nonum, bis imparibus, semel paribus diebus; dein vero usque ad 14, semel quolibet die febricitantibus opportune exhibebantur.

In febribus continuis quoque vesicantia magnam opem contulerunt. China matutinis juribus et aquis

diaphoreticis infusa non leve attulit emolumentum; quod tamen non adeo praesentaneum extitit, quemadmodum in tertianis perniciosis. Proficiebat nihilominus amarum hoc pharmacum mediocri dosi exhibitum, quod vitiosi humores inducta veluti coctione eam crasin adipiscerentur, qua opus est, ut ad loca salutarium abscessuum proclivius devolvantur."

Iis, quae hactenus adtulimus, auctorum testimoniis abunde constat, perquam vulgares fuisse ultimis annis seculi decimi septimi intermittentes perniciosas in variis Europae partibus easque sponte sua in typhum petechialem aliamque quamcunque febrem pestilentem inclinasse. Saepenumero etiam complicationem verminosam iis febribus adhaesisse: quae complicatio verminosa jam tempore Foresti nostri: id est seculo praecedente decimo sexto crebra memoratur; caput denique petiisse et genus nervorum: unde cephalalgiae, comatum, convulsionum, apoplexiarum, lethargorum multorumque aliorum sive symptomatum, sive morborum origo repetenda est.

Denique in hoc tempus cadit pariter liberalior cort. peruviani, novi tunc remedii, usus multaeque virorum doctorum de ipsius usu et abusu, laudibus et vituperiis non sine ira et studio lites et controversiae motae, quibus illud tandem boni evenit, ut legitima remedii praestantissimi administrandi ratio indies melius et adcuratius definiri

potuerit: quod tamen seculo demum sequenti auctoribus Torto, Werlhofio, Swietenio potissimum factum est: postquam mentes medicorum a praejudicatis opinionibus liberatae, neque partium, ut antea, studio ductae, rem non disputando, sed observando et experiundo detexerant.

QUAESTIONES.

I. Cur intermittentes seculo decimo septimo exeunte adeo pervulgatae sunt?

II. Num corticis peruviani inventio effecit, ut magis in eas medicorum mentes converterentur, an vero major harum febrium proventus caussa fuit, ut hujus remedii praestantia rectius aestumari coeperit?

III. Quo cognationis vinculo intermittentes cum reliquis horum temporum morbis epidemicis continentur?

IV. Quo nexu cum iis copulantur, qui antecesserunt?

HISTORIA THERAPEUTICES.

SEC. XV—XVII.

Graecorum et Arabum therapeuticen per aevum medium omne secuti sunt medici, potissimum de humoribus purgandis, corrigendis, emendandis sol-

liciti. Mutarunt ipsam Paracelso auctore et duce jatrochymici, qui metallorum usum inque iis praecipue antimonium et mercurium in artem introduxerunt.

Interea temporis multi a renatis litteris remedia leniora immitibus praetulerunt, quorum e numero fuit Petrus Forestus alcmariensis, qui Arabum syrupis et decoctis herbarum, humores demulcentibus temperantibusque maxime usus est. Solebat in morbis febrilibus initium fieri a venae sectione, quam sequebatur lenis purgatio, tandem adhibitis sudoriferis et cardiacis, siquidem opus esset, medicinis: alexipharmacis etiam, in genere morbi pestilente. Universe praxis Foresti, medicinae Hippocraticae ad normam composita, naturae erat administra, in motibus criticis adjuvandis operam et laborem inprimis collocans seseque ad praecepta medicorum principum cum veterum, tum Arabum conformans.

Ab hac foresteae praxeos simplicitate deflexit Franc. de le Boe Sylvius, chymiatriae placitis favens inque acido et alcali aequabiliter temperandis occupatus. In ista therapeutice chymiatrica principem locum tenuit alcali volatile, quo mirum in modum abusi sunt ejus sectatores.

Supererat hactenus in praxi febrium methodus humoralis, quae et sanguinis detractiones adhibebat et alvi purgationes, quibus deinde additus fuit liberalior vomitoriorum usus. Quae quoniam e sti-

bio parari solebant erantque validiora, turbas inde suscitatas opio, praesertim vespere dato, componere tentabant medici: quem in finem sive papaverinis, diacodiatis, sive laudano suo uti solebat Sydenhamus.

Porro in febrium curatione vesicantium usus magis divulgari coepit, quae in curandis intermittentibus perniciosis praesertim commendaverat Willisius: eademque adhibuit Sydenhamus in febre continua ann. 1673, 74, 75. ubi a capite esset revellenda aut derivanda morbi vis. Scilicet cum diu perstiterat constitutio phlogistica, observante Sydenhamo, ultimis seculi decimi septimi annis constitutio magis videbatur in oppositam conditionem vergere, partim nervosam, partim rheumaticam: quo quidem tempore regnavit febris continua illa ann. 1673—1675.

Haec autem febris, quae magis ad typhi naturam inclinare videbatur, interdum symptomata phrenitica provocabat, quibus prae caeteris medebatur Sydenhamus per vitrioli spiritum, cerevisiae tenui instillatum. Quam acidorum mineralium salubritatem in ejusmodi febribus typhosis et neurophlogosibus uberrima comprobavit posterorum medicorum experientia.

Maximopere vero febrium therapeutice mutata est per inventum corticem peruvianum, quo intermittentium familia omnis, quaeque ejusdem generis sunt, remittentium continuarum feliciter do-

mari potuit, cum prius sive per alterantia, sive per amara adstringentibus et volatilibus juncta toties incassum oppugnabatur.

Praeter morbos pandemios acutos, etiam morbi pandemii chronici novi exorti sunt continuo, novam jure suo postulantes medendi methodum.

Inter hos duo potissimum hoc tempore extiterunt non ad orbem classicum, sed ad orbem novum pertinentes: syphilidem volo et scorbutum: quorum illi duo praecipue remedia opposita sunt: mercurius scil. et guajacum, saepe de principatu certantia; huic vero curando et herbae recentes acres et acidae sive acidulae fuere a medicis saluhriter praescriptae.

Diu tamen perennavit veterum galenistarum et arabistarum praxis, ut nulli morbo sine venaesectione et purgatione mederi posse existimaverint medici atque non tantum per omne aevum medium, verum etiam per plura secula deinceps haec sanguinem detrahendi alvumque purgandi methodus praecipua esset, ad quam omnes fere morbi sese adcommodare cogebantur.

Tandem lente demum nova huic accessit per alterantia, quae primum antacida, alexipharmaca administrabat, postea vero et metallica administrare coepit, quorum virtus vere heroica posterioribus demum seculis rite aestimata est suoque pretio habita.

Corticem vero peruvianum quod adtinet, hujus

legitimus usus ante seculum decimum octavum non bene fuit cognitus. Nam de hac disciplina therapeutica idem, quod de caeteris disciplinis medicis tenendum est: per continuam tandem traditionem adcuratius semper fuisse elaboratas et definitas, neque nisi per experientiam plurium seculorum et generales medendi methodos et peculiares medicaminum dotes viresque bene fuisse indagatas.

QUAESTIONES.

I. Quibus nominibus differt veterum therapeutice febrium a recentiorum?

II. Quomodo chronicorum medicatio per novorum morborum proventum mutata est?

FEBRIS MILIARIS.

1700—1738.

Sub constitutione erysipelatosa, regnantibus intermittentibus ac dysenteria, magis magisque exanthema miliare erupit, primum ad erysipelata et catarrhos, deinde ad rheumata propius accedens, donec tandem, ipsa constitutione erysipelatosa in rheumaticam transeunte, in peculiare exanthema rheumaticum adolevit.

Morbus, jam anno 1652. descriptus, initio haec obferebat symptomata: cutim vel universam, vel insignem ejus partem occupabat color impense ru-

bens, aut etiam purpureus, cum aliquali interdum intumescentia, ut et calore urente, quem in declinatione morbi excipiebat epidermidis erosio, frustulatim tandem decidentis. Praeterea ex actionibus laesis notabantur: capitis gravitas et dolor pulsatorius, lassitudo totius corporis, ardor et sensus punctionis sub cute cito transiens, narium auriumque pruritus, sternutatio frequens, pavores in somno, insomnia turbulenta cum pavore, spectra, phantasiae rerum rubrarum et coruscantium, deliria, insultus ad epilepticos accedentes, pulsus celer et frequens ac vehemens, difficilis et cita respiratio, tussis sicca. Ex excretis: urinae turbidae, turbulentae et subjugales, haemorrhagiae narium, vomitiones, diarrhoeae, lacrymae involuntariae.

Lipsiam tunc temporis maxime adfligens praecipue puerperis infestus fuit. Deinceps, seculo sequente a. 1713, cum doloribus capitis, dorsi, artuum, adparuit, sub forma papularum crystallinarum, livente circum ipsas cute; per antiscorbutica, cochleariam inprimis optime curabatur. Ab a. 15. hujus seculi in vicinas etiam regiones migravit. Anno 1719 prope Berolinum, sub constitutione morborum rheumatica, catarrhali, una cum febribus rheumaticis et dysenteriis regnabat epidemia miliaris, sudoribus, urinisque criticis ac regimine leniter diaphoretico tum naturae, tum artis beneficio sananda. Anno 1720. commemoratur epidemia naum-

burgensis, quae sub specie arthritidis vagae cernebatur cuique fortunate medebatur alvi profluvium: quod nisi fieret, manuum pedumque tumoribus doloribusque cruciabantur aegri. Aliam epidemiam a. 1728. describit Fred. Hoffmannus. Postea pluries et visa est et descripta haec efflorescentia cutis, nunc symptomatica, nunc idiopathica cumque aliis aliisque morbis epidemicis sese obferens.

Est circa hunc morbum animadvertendum: initio, sub constitutione scorbutica, rheumatismi scorbutici, febrilis characterem ostendisse: tum, sub constitutione erysipelatosa, neurophlogosibus adpropinquantem, rheumatismi nervosi induisse formam: denique et intermittentibus et dysenteriis stipatum cum hisce etiam ipsisque febribus typhoideis arcta cognatione contineri; atque iis, quae de dysenterico processu monuit Rokitansky, hanc cognationem per ipsam anatomen pathologicam indicari: siquidem in levissimo morbi gradu epithelium intestini crassi in parvas vesiculas, sero limpido turgentes adtolli, scribit: quas igitur miliaria interna, intestinalia haud inepte vocaveris: quae etiam furfurum in modum desquamari videntur.

Itaque hoc exanthema rheumaticum, ut ipse rheumatismus, saepe impurum, cum alia aliaque sanguinis dyscrasia copulatum, partim phlogistigisticae, partim typhosae et erysipelaceae naturae, ex constitutione dominante morbisque epidemicis

sociis demum rite dijudicari tractarique poterit. Nam quemadmodum sub scorbutica constitutione per antiscorbutica fuit salubriter tractatum, sic sub catarrhali nervosa per diaphoretica leniora, sub erysipelatosa per alvum criticam curavit natura: intermittentibus denique dominantibus, per sudores urinasque criticas perque reliqua hisce adcommodata artis auxilia.

Antacida, praesertim alcalia, nuper commendavit SCHOENLEIN: quae jam pridem adhibita et laudata fuisse in hoc morbo animadvertit HAESER.

Atque hoc loco non possum, quin notem observationem ejusdem, quem modo citabam, ROKITANSKY: processum dysentericum etiam in mucosa uteri, tamquam processum puerperalem, provenire, ipsum autem processum hunc dysentericum summam habere analogiam cum eo, quem provocat corrosio mucosae oesophagi per acidum causticum (*Handb. d. Pathol. Anat.* III. B. pag. 265. cf. pag. 259.) Quod eam ob caussam animadversione dignum est, quia numerosae exstant miliarium in puerperis observationes praecipue seculo praecedenti, quae inter viennenses crebra pravo regimini adscribere solebat HAENIUS nostras atque exinde protopathicum ac peculiare esse exanthematis genus negabat (1).

(1) Infra saepius commemorandi hoc exanthema et locus et tempus erit, cujus doctam monographiam nuper dedit vir erud. FRANC. SEITZ.

QUAESTIONES.

I. Cur exanthematis miliaris praesertim mentio fit seculo XVII et XVIII?

II. Quo nexu cohaeret cum aliis morbis tam chronicis, quam acutis?

III. An, quae hodie probatur, sententia: acrimoniam acidam huic exanthemati subesse, per alcalia domandam, meretur probari?

IV. Quo modo ex hac hypothesi hujus morbi cum scorbuto connubium explicari potest?

FEBRIS MUCOSA.

1760.

Morbum mucosum una cum dysenteria febres intermittentes proxime secutum esse, epidemiae gottingensis scriptores Roederer et Wagler notarunt deque hoc monographiam ediderunt a. 1762. Itaque intermittentium epidemiam excepit epidemia febris mucosae de qua: » laborant, inquiunt, omnes ex abdomine, morbo nempe intestinorum proprio. Eadem utriusque est origo ex intermittentium epidemia, eo saltem discrimine, quod dysenteria genetricem proxime excipiat; morbus mucosus ex dysenteria nascatur."

Principium morbi, hisce auctoribus, est aucta

muci in ventriculo et intestinis secretio, sive blennorrhoea gastrica intestinalis, cui si accedat febris, haec ab horrore et frigore incipit, junctis interdum nausea et vomitu spontaneo. Exacerbationem vespertinam sequitur per noctem aestus validus, frigori praegresso proportionatus, cum intensa siti et capitis dolore, potissimum syncipitis. Adpetentia laesa, perpetuus vomendi conatus, cum alvo clausa, tussis abdominalis spastica. Sanguis de vena missus, alba, vel caerulea et semipellucida crusta tegitur. Jactatur corpus, minuuntur vires, labascit mens depressa. Aliis somnolentia, aliis delirium. In aliis sudor, in aliis diarrhoea mucosa, cruenta, biliosa, interdum tenesmi, dolores, in regione coli transversi. Satis constans symptoma est excoriatio oris interni aphthosa. Os cum faucibus magna muci copia conspurcatum est, sub majori febris aestu siccum. Sapor oris depravatus. Lingua subsicca, pallida, alba splendens, muco crasso, albo, squalido obducta, ad radicem flava, subfusca, limbo et apice utplurimum rubris: urina flava, rubra, crassa, inde turbida, cum sedimento mucoso. Pulsus varius, aegre definiendus. Crises variae, imperfectae, per sudores cum pedum oedemate, per vomitum, per urinam, cum sedimento albo, levi, sublateritio, per aphthas, cum gingivarum tumore, per herpetem labialem, per pustulas, aut exanthemata purpuracea, per diarrhoeam mucosam, per anacatharsin,

per epistaxin. Multoties etiam febricula quaedam lenta morbi reliquias expellit. Transit interdum in intermittentem aut icterum, oedemata, hydropem. Curatio optima per leniora nauseosa, subemetica, mucum solventia et pauxillum camphorae, vermes pellendi consilio et sudores, eaque, quae critica naturae molimina juvant. Crebra recidiva est. Alia species morbi maligna est, in qua desiderantur aphthae, tumores pedum, cuique graves artuum dolores proprii sunt, cum statu bilioso, aut inflammatorio, aut hectico; aut aliis morbis jungitur, praesertim chronicis, secundaria, quod sub constitutione mucosa fieri solet.

Hic generalis morbi conspectus, quem illustrant singulorum aegrotantium historiae, quibus varia hujus species proponitur.

Haud dissimilis naturae erat, quam a. 1764. a mense Aprili usque ad finem autumni Neapoli grassantem vidit epidemiam Sarcone, cujus signa propria erant: lingua crusta alba, lactea, crassa obducta, quae saepenumero quoque palatum et fauces tegebat, a primo inde morbi die, quae in dies mutabatur, pallidior facta, relicta tandem praecipue in dorso linguae rubedine sicca. Pariter ab initio sudor erat symptomaticus, levior tamen. Urina porro aquea, tenuis, limpida, aut turbida, inordinata; gravis tandem cephalalgia, sive a morbi principio, seu altera aut tertia febris exacerbatione, cum summa corporis lassitudi-

ne, functionum anomalia; morboque increscente, pulsu vario, sudore frigido, deliriis, vomitu, singultu, anxietate, dyspnoea, oculis inversis lacrymantibus, sopore, meteorismo, ischuria, gangraena, petechiis, alvi profluviis colliquativis, haemorrhagiis, tumoribus tonsillarum, caet. In cadaveribus intestina vibicibus, petechiis commaculata, muco griseo, subflavo tecta, inflammata, sphacelata, glandulae meseraicae tumentes; in pectore serum inque capite inter meninges.

Curatio fiebat per venaesectionem moderatam, in morbi paroxysmo primo vigente (sanguis crusta grisea obductus cernebatur). Hac igitur, siquidem opus esset, praemissa, horis ab exacerbatione remotis dabatur emeticum, ex sola ipecacuanha, aut corpore duriori, addito stibio, deinceps alvi purgatione subjuncta, tandem sub vesperam dieï quarti praescribebatur cort. peruvianus, febre notabiliter remittente.

Itaque haec febris neapolitana fuisse videtur typhi mucosi species, ex earum remittentium genere, quae intermittentibus adfines, medicationis per corticem peruvianum capaces esse deprehenduntur et cognationem febris mucosae, typhi et intermittentium subindicant. Ea cognatio, jam prius animadversa, non latuit HUXHAMUM, morborum epidemicorum Pleymuthi hoc tempore observatorem, non latuit WAGLERUM in epidemia gottingensi, nec PRINGLIUM, eximium illum medicum castrensem.

Febrium autem epidemicarum hoc seculo decimo octavo communem ex abdomine originem cuncti adgnoverunt rei epidemicae scriptores.

Ipsam vero febrim mucosam quod spectat, erat febris intestinalis, cum inflammatione impura internae tunicae canalis cibarii composita: quae quidem inflammatio illius generis fuit, quod catarrhale nuncupaverunt: de quo genere consuli meretur praeclarus anatomes pathologicae cultor Rokitansky. Is nempe varias distinxit inflammationes mucosae intestinalis: catarrhalem, sive erythematosam, membranaceam, sive polyposam, typhosam, dysentericam, cum polyposa, interveniente dyscrasia, copulatam. Hanc plerumque sequitur blennorrhoea intestinalis, si in chronicam formam transierit, cum hypertrophia villorum aliarumque tunicarum intestinalium auctaque secretione muci griseo-albi, lactei, potestque phthisin intestinorum catarrhalem provocare: eique in ea, quam hoc loco volumus, febre mucosa subest plethora mucosa, quae molimine critico per cutim intestinalem eliminatur atque ex victu farinaceo annique tempestate humida insalubri principium habere solet.

De interpretatione hujus febris mucosae inter auctores magna dissensio est. Nam dum alii ad synochos hanc febrim revocant, alii ex typhorum numero esse perhibent, alii ad erysipelata, ad rheumata alii pertinere arbitrantur. Infinitum paene foret, omnes hypotheses de hâc febre pro-

latas explanare. Sufficiat, eam proferre, quae omnibus perpensis ac ponderatis, probabilior nobis habetur. Itaque sive symptomata, sive caussas, sive exitus, seu denique medendi auxilia reputemus, eam profiteamur sententiam oportet, quâ nomine catarrhi gastrici hunc morbum insigniamus. Est catarrhus, quo titulo cum influenza, cum febribus catarrhalibus et rheumaticis latiori sensu cohaeret. Est morbus gastricus, quo cum dysenteria, cum typho abdominali, cum febribus intermittentibus conjungitur.

Processus phlogisticus in mucosâ potius erythematicus aut erysipelaceus est, quam vere inflammatorius magisque ad neurophlogoses, quam ad phlogoses puras, simplices pertinet.

Quatenus a cutis munere laeso proficiscitur, eatenus catarrhis, quatenus ad mucosam intestinalem hujusque mutatam secretionem referri debet, eatenus nervi plastici aegritudinibus adnumerabitur. Quatenus denique abundantem in sanguine mucum sive albumen ponit, eatenus dyscrasiarum febrilium generi adscribetur,

Hâc febre cerni mutationem vitae physiologicam, virorum doctorum opinio est, non quidem, ut prius, organorum sensus, sed viscerum abdominalium, sive potius epigastrii in oeconomia dominium, cum quibus sane et plexus magni nervorum splanchnicorum et systema venae portarum arcto cognationis vinculo continetur: quemadmo-

dum idem illud in evolutione individua post vitae acmen superatam regnare observamus.

Eam opinionem defendens QUITZMANNUS, oppugnat alteram contrariam BARTELSII, qui ex charactere humanitatis psychico characterem somaticum repetens mentes hominum in res materiales conversas hanc in corpore conditionem suscitare, conjicit. Nimirum, sic disputat QUITZMANNUS: ut in homine singulo indolem animique habitum mutatum a corpore repetimus, sic eadem lege mutatur genus humanum, ita ut longe felicius problemata politica et moralia solvere possemus, si ante omnia de periodi, de qua agitur, conditione corporea nobis constiterit.

Certe magnam esse corporis in animi habitum efficacitatem, et aetates et sexus et temperamenta et vitae genera et climata abunde ostendunt. Neque infitiandum, multorum hominum animum corpore regi; paucorum corpus animo parere. Illud autem corporis dominium num tam potens sit, ut orbis politicus et orbis moralis ad hujus nutum regantur, equidem non facile adfirmaverim. Exemplo res fiet clarior. Nostis seculum decimum sextum insigne esse gravibus maximisque cum in orbe politico, tum in orbe morali conversionibus. Nam, ut alia taceam, hoc seculo memorabilis illa facta est ecclesiae reformatio, auctore MARTINO LUTHERO, cumque ea ingentes excitatae sunt rerum politicarum turbae, ut novus natus videretur seclorum

ordo, et tamen eodem hoc tempore constitutio epidemica stationaria fuit scorbutica, quod quomodo Quitzmannus ex ea, quam modo memorabam, hypothesi explicet, scire maxime averem. Non quidem sum nescius, eundem Quitzmannum hoc loco animadvertisse, tunicas vasorum arteriosorum per scorbutum esse adfectas, eâ periodo, qua penes systema sanguiferum imperium summum erat; verum et hoc si concedamus, nonne tamen inde efficitur, hanc tunicae arteriarum affectionem fuisse scorbuticam, quae affectio quomodo explanare poterit energeiam et renisum per corpus in hominum animis concitatum, fateor me penitus nescire.

Fortasse ex hâc difficultate nos ita optime expediemus, si ponamus elementum rheumaticum jam tum elemento scorbutico praecelluisse quodque ex antecedente seculo decimo quinto supererat, vinci cepisse eo, quod hoc seculo accedebat novum, aut saltem nuper accesserat. Quod ubi sic solvere placeat problema, demonstrandum foret, in sudore anglico elementum scorbuticum altero fuisse elemento rheumatico superius.

Sed ne his argutiis ac subtilitatibus nimium demus, reputandum est, nequaquam per eos homines, qui corpori serviunt, magnas fieri rerum conversiones, verum per eos, qui et res et corpus suum et homines sibi subjicere iisque imperare norunt; saluberrimas vero et maximas per eos, qui

spiritu animantur divino, ἐνθεοὺς (1), quorum numerus licet haud ita magnus, providentiae tamen divinae sufficit. Est videlicet vis divina, quae vires tam psychicas, quam corporeas gubernat ac regit quaque organismus ille ingens mundi motu agitatur interno et inter medias turbas ad praeclarum concentum componitur.

QUAESTIONES.

I. Quem locum inter febres reliquas tenet febris mucosa?
II. Undenam factum est, ut hoc demum tempore a rei epidemicae scriptoribus sit relata?
III. An febris essentialis dici meretur?
IV. Utrum contagiosa, an miasmatica nuncupanda est?
V. Cur a nonnullis genere typho fuit comprehensa?

FEBRIS PUTRIDA.

1770—1772.

Alia longe fuit rerum epidemicarum facies, postquam ab anno 1769. imbribus ingentique pluviarum

(1) *Enthousiastes* gallice, sed vulgo, licet minus recte, in malam partem.

copia omnis ferme Europa per inundationes ingentem obferebat regionem paludosam: quibus de caussis febres putridae emicuerunt.

Orsa est haec febrium putridarum epidemia jam ab anno 1767. in regione moscovitica, in qua sub specie febris catarrhalis putridae in scenam prodibat. In Hungaria, praeëuntibus intermittentibus, saeviebant hae febres maxime a. 1771. In Bohemia pariter et Austria, Saxonia, Helvetia, Gallia, Hispania, nec minus in Europa septentrionali: Hollandia (quorsum referenda est historia a peritissimo DE MAN perscripta) in Belgio, in Anglia, Dania, immo in aliis etiam mundi partibus, auctoribus CLEGHORN, SANDIFORD, CHALMERS, in quibus omnibus nocuere venaesectiones, profuere evacuantia, praecipue emetica et cathartica leniora quibusque declinantibus natae sunt febres gastricae, biliosae, dum elementum gastricum praevaleret; ut minime mirum sit HAENII methodum antiphlogisticam cum methodo STOLLII antigastrica, ita jubente constitutione epidemica stationaria, fuisse commutatam.

FEBRIS FLAVA.

Est febris Indiae occidentalis, flavam appellant, quae typhi biliosi aut bilioso-putridi speciem summo gradu repraesentare videtur. Ab aliis cholosis

pestilens, ab aliis atactica nervosa, ab aliis intermittentis generis, ab aliis denique scorbuto adfinis fuit dicta et habita.

Prima morbi periodo vultus attonitus, longa et repetita suspiria timorem et terrorem exprimunt: queruntur aegri de ventriculi aegritudine, quam vomitu sublevare tentant. Color in facie licet rubeat, pulsus tamen vix crebrior tangitur ac postea tardus, immo tardissimus est. Dolores obscuri ad lumbos, genua, orbitas, nucham, aegro comatoso, sentiuntur, nec tamen valent soporem discutere, quamvis subinde prae dolore clamitent. Adloquentibus vix respondet aegrotans, intuitu turbato nec lucem ferente. Conjunctiva rubra, aridae gingivae, labium inferius tremit; lingua crusta tenace, flavescente, sicca, nequaquam tamen sitit aeger.

Altera periodo narium haemorrhagia fit, flavescit cutis, prope carotides et temporales, mirum in modum pulsantes, increscit vomitus fitque niger, augetur icterus, supprimuntur urinae, vibices lividae adparent in facie et reliquo corpore, erumpunt petechiae, alvus nigra dejicitur, cruenta: tandem sanguis tenuis elabitur de emunctoriis variis aegerque deficit intra quartum et septimum vulgo morbi diem.

Ab aliis memorantur: rigores, nausea, cephalalgia frontalis, rubor conjunctivae, oculi lucentes sicci, aut humidi, lacrymantes, dolores ingentes lumborum, femorum, genuum, habitus tumens,

ruber, dolor, aegritudo in regione ventriculi, jactitatio, agitatio, supinatio, respiratio abnormis, pulsus frequens, plenus, durus, lingua munda, aut alba, rubra ad latera et apicem, sitis magna, anorexia, cutis sicca, ardens, alvus stricta, interdum fluens, biliosa, pervigilium, stupor, delirium, urina ad speciem sana. Hoc tempus incitationis sequitur alterum, debilitatis, die altero, tertio, quarto, pulsu debili, oculis languentibus, vomitus niger, cutis in vultu flavescens; facilis syncope, lingua sicca, rubra, nigra, fusca, haemorrhagiae, ischuria, delirium, mors.

Haec symptomata saepe varia, multaque desiderantur: ipse vomitus niger et color flavescens. Id animadvertens Evans libr. infra citato, visa et reperta in cadd. tradit pag. 250 sqq. Constantibus adnumerat vestigia gastritidis, aut gastro-enteretidis. De historia febris flavae cf. id pag. 267 sqq. Caussae habentur aestus ingentes, effluvia paludosa.

Propria ac characteristica maxime morbi signa esse feruntur: pulsus circa tertium aut quartum diem tardior factus, vomitus niger atque ischuria, quae summo morbi gradu notantur conjuncta: de quibus signis characteristicis alii contra dubitant.

Cadaverum reclusio in aliis alia manifestat: intestinorum sphacelum, hepar et splenem tumentem, bilem spissam, atram in cystide, aut viridem, tenuem, vesicam urinariam vacuam, renes

fracidos, ecchymoses in pleura, nigrores in pulmone, pericardium seri plenum, cor et arterias texturae mollioris, cerebrum et sinus sanguine turgentes, sanguinem effusum, cellulosam sero flavo perfusam; quae cum singula et universa jam absint, jam adsint, nihil de natura mali significant: quin vel ipsa ventriculi phlogosis, vulgaris licet, interdum, una cum symptomatibus ipsius aegrotantis, post morbum gravissimum desiderabatur. Haec referens experientissimus in Indiis occidentalibus medicus Dalmas (*Récherches historiques et médicales sur la fievre jaune*, Paris 1805. pag. 16.) (1) summam esse animadvertit inter febrem flavam et scorbutum analogiam. Quae utrum tanta sit, quantam esse voluit ipse, vobis, symptomatibus utriusque morbo collatis, uti mihimet ipsi, dubium videbitur, praesertim si et quae de caussis et quae de medendi methodo tradit auctor, fueritis commentati.

Et primo quidem nasci hanc febrem observarunt sub caloribus aestivis summis, prope aquas stagnantes, in locis depressis, paludosis (ex miasmate) inque regionibus magis temperatis, more epidemiae contagiosae, propagari: quinimmo ex febre biliosa remittente ortam fuisse febrem flavam

(1) Recentiorum de hac febre observationes memoravit doct. Evans in *clinic. treat. on the endemic fevers of the West Indies.* Lond. 1837, pag. 255 sqq.

(pag 57) et ab altera parte multa habere caussarum respectu cum febribus pestilentibus communia. Neque tamen semper Americae finibus fuisse circumscriptam, verum jam tertia vice adflixisse Hispaniam. Subinde inclinasse in typum intermittentem, corticis peruviani capacem. Ex cunctis autem signis nihil magis esse salutare, quam evacuationem bilis flavae viscidae per alvum. Caeterum quaecunque remedia: emetica, mercurialia, purgantia, acida, stimulantia, cardiaca, ipsum cort. peruv. toties spem fefellisse, ut omni arte superior isthaec febris haberi debeat: quae interdum etiam sudore, ut in aliis alvo fuit judicata; illud leniori diaphoretico (pag. 178.) hoc ol. ricini quandoque adjuvari contigit. Denique certissimum prophylacticum esse migrationem ex locis infectis in loca salubria et epidemiae repagulum, succedens caloribus frigus atmosphaerae.

QUAESTIONES.

I. Cur febris flava cholosis pestilens, sive pestis biliosa nonnullis dicitur?

II. An justus metus est, ne pestis illa americana olim in Europam quoque septentrionalem migret?

III. Cum quibusnam morbis epidemicis maxime cognata esse videtur?

IV. Quare urbanis, quam ruricolis, Europaeis, quam Americanis perniciosior?

V. Num quae Eisenmanni conjectura est, archipelago Americae coaeva, non atmosphaerae, sed telluris mutatae progenies est?

FEBRIS NERVOSA. TYPHUS ABDOMINALIS.

1796, 1806, 1813.

Tametsi febres nervosae medicis antiquis non prorsus incognitae fuisse videantur, hae numquam eo usque epidemicae factae sunt, quam ab ultimo decennio seculi decimi octavi ad alterum decennium seculi decimi noni. Tres hac periodo in annalibus medicis scripto consignatas legimus, gravissimas harum febrium epidemias, per Europam potissimum septentrionalem maximam hominum stragem edentes, quarum mentionem fecerunt cum alii bene multi, Germaniae medici, tum principes inter eos Hufelandus et Hildebrandtius. Hae igitur secutae sunt epidemicas maxime a. 1771 et 1772. febres putridas eamque subierunt metamorphosin, ut, quae a. 1796. magis catarrhales, aut rheumaticae erant, deinceps ann. 1806 et 1813. magis gastricae factae, typhi abdominalis characterem luculentius exprimerent.

Symptomata catarrhi narium, pulmonum, ventriculi, caetera sequuntur symptomata cerebri ge-

nerisque nervorum aegrotantis, haec vero symptomata crisium nervorumque convalescentium.

Verum lubet adumbrare leviter singulas memoratas epidemias, iisdem, quos indicavimus, auctoribus ac ducibus, HUFELANDO et HILDEBRANDTIO.

» Character morborum ab autumno a. 1796, ita HUFELANDUS, erat character nervosus. Symptomata prodroma sive communia erant: lassitudinis, aegritudinis, carebariae, horripilationis, anorexia, pulsus irritatus, somnus turbatus; sive ad speciem catarrhalia, gastrica, inflammatoria. Excipiebant ea propria ac characteristica febris nervosae signa: symptomata videlicet aegrotantium nervorum, eaque repugnantia plurimumque varia et mutabilia: pulsus varius, spasmi cutanei, sudores topici, ardores fugaces, linguae siccitas sine siti, subsultus tendinum, tremores, spasmi, convulsiones, capitis dolores, stupores, aurium tinnitus, deliria, spasmi et dolores pleuritici: raro petechiae, miliaria, aut vesiculae, constans pulsuum inter et symptomatum exacerbatorum contrarietas, quorum haec eo graviora, quo debilior pulsus et contra, quo major pulsus et plenior et fortior, eo minor aestus morbique saevientis significatio. Forma jam erethica erat, jam narcotica, comatosa haeque crebro in eodem aegrotante commutabantur. Quod vero huic epidemiae peculiare animadvertebatur ac proprium, symptomata erant catarrhalia, rheumatica: dolores artuum vagi, cory-

zae, anginae, tusses spasticae, pleurodyne. Rariora longe erant symptomata gastrica, minus rara verminosa; unde complicatio ominosa. Protrahebatur saepe febris in sextam vel octavam septimanam ac saepenumero supererant morbi reliquiae diu: metastases, lassitudines pulsuumque irritatio et frequentia praeter naturae modum.

Alia fuit rerum facies anno 1806. et sequente, eodem referente Hufelando. Initium erat ab alvi profluvio. Diarrhoea isthaec diu ante morbum praecedebat, praecipue autumno et hyeme, morboque increscente diarrhoeae accedebant meteorismus, borborygmi, ventris ad contactum dolores, delirium mite, subinde ferox, motus spastici, convulsivi, sensuum erethismus aut narcosis, coma, anaesthesia, lassitudo, pulsus minimus, celerrimus, singultus, vomituritio, dysuria, ischuria, sudores colliquativi, petechiae, rarius miliaria, haemorrhagiae narium, alvus cruenta, praeter voluntatem, lingua nigra, sicca, excrementa foetida, propria vultus decompositio. Tres erant morbi gradus: prior sine delirio, alter cum delirio, tertius cum statu putrido. Persistebat febris usque ad diem 21 eoque superato nullus moriebatur. Diu supererant virium, praesertim nervearum infirmitas et cerebri debilitas. Qui moriebantur, ex paralysi cerebri interibant, morte apoplectica. Pulsus quo celerior et crebrior, eo majus discrimen. Morbo vigente, duae

quotidie notabantur exacerbationes: matutina altera, altera vespertina, urina per omnem morbum erat jumentosa, deinceps cum sedimento aut crystallis: crocodismus, carphologia, balbuties, vomituritio ominosa. Surditas faustis signis adnumerabatur. Crisis fiebat sputis, saliva, sudore, efflorescentiis. Curatio fiebat per stimulantia, cardiaca, cito ac crebro mutanda.

Tertia epidemia anni 1813, quo Europae tyrannus devictus est, fuit omnium atrocissima latissimeque patens: siquidem a Russia inde ad Italiam et Hispaniam usque nulla provincia, nullum regnum hujus calamitatis immune fuit: illis autem inprimis funesta fuit ac gravis, quae belli theatro propiores: Borussiae, Saxoniae, Bohemiae, provinciis rhenanis atque urbibus obsidione vexatis.

Primum hujus typhi stadium magis subinflammatorium fuit: rubor conjunctivae, symptomata pulmonum et hepatis affecti, dedolatio artuum, cum spasmis surarum et digitorum atque apathia summa hoc tempore observabantur. Parva epistaxis et efflorescentia cutanea, die quarto, morbillosae suppar, interdum parotides sese monstrabant. Stadio nervoso proxime sequenti alvi profluvia, dolores intestinorum, meteorismus, urina pallida, turbida paululum, pulsus varius admodum, motus spastici, convulsivi, narcosis, typhomania, rerum oblivio, stupor notata sunt: haec ad decimum tertium diem, quo exeunte, vulgo

exacerbatio gravior dieque decimo quarto cutis mollescit, humescit et lingua, erumpit sudor, urina emittitur cum sedimento et alvus critica morbum solvit. Evigilat aeger, tamquam ex profundo somno, fugatur apathia et post alios septem dies plerumque in convalescentiae stadium transgrediter aegrotans.

Nuper Cl. Schoenlein distinxit inter symptomata mucosa, cutis, nervorum et febris: qualia sunt desquamatio epithelii mucosae, quam denotant diarrhoeae aliaeque excretiones, exanthema, ejusdem desquamatio, et exanthema cutaneum, narcosis, stadia septenaria, febris primum sive erethica, sive phlogistica, deinde torpida. Geographica distributione typhus ad hemisphaerium boreale pertinere videtur; nec raro tamen omnem Europam peragravit, per plures annos continuos epidemicus: atque in singulo homine tertio vel quarto septenario finitur.

In typho abdominali cernitur efflorescentia intestinalis, cujus ergo dothinienteritis, enteritis folliculosa fuit adpellata. Hujus symptomata sunt primi stadii, alia nervosa: lassitudo, vertigo, tinnitus aurium, pervigilium; alia mucosa: lingua sordida, mucosa, vomituritio, dolor in regione intestini coeci, alvi obstructionem die quarto secutum profluvium, renisus febrilis. Stadii secundi: deliria, stupor, paralysis, lingua sicca, rubra, meteorismus, pulsus debilior, caet. prius recensita,

quae sequuntur motus, molimina et evacuationes criticae, stadio morbi tertio.

Haec dum in aegro cernuntur atque adparent phaenomena, in corpore interno peculiaris processus evenit, quem typhosum adpellaverunt. Hujus quatuor discernunt stadia: congestionis, infiltrationis, emollitionis, ulcerationis. Primo stadio, cui respondent symptomata irritationis: catarrhalia, gastrica, notantur in ileo signa congestionis venosae et blennorrhagiae intestinalis, praecipue prope coecum, turgentibus leniter glandulis meseraicis; altero stadio ad glandulas Peyeri inprimis animadvertitur infiltratio materiae peregrinae, lardaceae, in ipsis folliculis et cellulosa submucosa. Tertio stadio emollitio, expansio, subinde fungosa cernitur intumescentia, in crustam abiens a reliqua mucosa et submucosa secedentem, dum intestinum meteorismo expanditur. Quarto tandem stadio superest eo loco ulcus, quo tempore detument notabiliter prius turgentes plurimum mesenterii glandulae. Simul lienis tumor est et congestio venosa ventriculi, ex adverso lienis. In bronchiis mucus est et in pulmonum parenchymate sanguis stagnans. In gangliis nervorum plexus solaris et mesenterici superioris initio turgor, postea collapsus. Aliquando perforatio intestini indeque peritonitis factam ulcerationem sequuntur, quae diu post febrem superesse et mortem inferre potest.

Itaque processum typhosum insigniunt: deposi-

tio producti proprii, quod suas subit metamorphoses, sive in mucosam ilei (*typhus abdominalis*) sive in mucosam pulmonis (*pneumotyphus*) analogia ac similitudo cum aliis processibus heteroplasticis, inflammatio impura ex dyscrasia sanguinis propria, typhosa. Sunt tamen exempla typhi sine morbo intestinali, sive aliis mucosis aegrotantibus, sive solo aegrotante sanguine.

Ex quo tempore typhus petechialis summam consecutus est evolutionem: id quod annis 1813 et 1814. factum fuisse perhibent, crebriores erant relationes febrium nervosarum, epidemicarum, perquam vulgarium, in quibus elementum gastricum praecellebat, tam in Gallia, quam in Germania, Helvetia, Russia. Sic typhus abdominalis exstitit, de cujus notione inter se pugnant viri docti. Typhum petechialem per febrem hungaricam in typhum abdominalem secessisse QUITZMANNI opinio est. In hoc autem petechias nequaquam habere significationem criticam. Exanthema vero se conjecisse in cutim internam, intestinalem sicque natum esse typhum abdominalem. In qua tamen symptomata cerebralia, pulsus et febris communem declarant morbi originem. Plures esse varietates intermedias: et pridem et nuper observatas, in aliis regionibus alias. Ipsam autem inflammationem minime esse puram, verum impuram ideoque nullo jure sive gastro-enteritidis, seu meningitidis cerebro-spinalis titulo celebrari; quemadmodum

Franciae medicis placuit. Illud vel ipse fassus est praeclarus anatomes pathologicae cultor Cruveilhier, qui enteritidem suam folliculosam (hoc nomine eam febrem nuncupavit) non esse inflammationem protopathicam, adparatu antiphlogistico oppugnandam, sed secundariam, deuteropathicam, quae remedia tolerat stimulantia, cardiaca, qualia minime toleraret enteritis vera, primaria, observat: etiamsi doleat, methodum legitimam illas enteritides folliculosas febresque typhoideas curandi nondum inventam esse.

Fortasse poterit ea reliquis praestantior haberi, quae in ipsam sanguinis dyscrasiam dirigitur perque acida: inprimis acidum hydrochloricum sive muriaticum operatur, quam numerosae felices curationes commendare videntur quaeque neque ipso exanthemate et ulcere intestinali, nec nervorum aegritudine vetatur.

QUAESTIONES.

I. Tradatur vera ac legitima typhi notio hujusque nuper a recentioribus nosographis mutatae ratio.

II. Exponantur praecipuae de ea prolatae hypotheses, comparatione facta cum theoria, quam ultimo proposuit Carolus Rokitansky vir. cl.

III. Inquiratur in genesin typhi abdominalis ex typho petechiali.

IV. Significetur, quid per anatomen pathologicam et zoöchymiam profecerit doctrina de typho.

V. Declaretur, quatenus morbis exanthematicis adnumerari mereatur haec febris.

VI. Efficiatur tam ex symptomatologia, quam ex anatome pathologica character typhi genericus, naturalis.

CHOLERA.

1817.

Ultima pandemia, cujus memoriam renovare oportet, cholera est, quae in Asia nata per imperium moscoviticum Europam ingressa est, atque lento, sed certo gradu praecipuas ipsius regiones invasit plurimaque trucidavit hominum millia.

Est cholera europaea aestatis adultae suboles, quam mira arte descripsit Tho. Sydenham, his quidem verbis: »morbus hic intra Augusti limites se continens facile cognoscitur. Adsunt enim vomitus enormes ac pravorum humorum cum maxima difficultate et angustia per alvum dejectio; ventris ac intestinorum dolor vehemens, inflatio et distentio, cardialgia, sitis, pulsus celer ac frequens; cum aestu et anxietate, non raro etiam parvus et inaequalis; insuper et nausea molestissima, sudor, crurum et brachiorum contractura, animi deli-

quium, partium externarum frigiditas, cum aliis consimilis notae symptomatibus, quae adstantes magnopere perterrefaciunt, atque etiam angusto viginti quatuor horarum spatio aegrum interimunt.

Huic suppar est cholerae Indiae descriptio, auctore Jac. Bontio. Ea fit cum materia biliosa ac praetorrida ventriculum et intestina infestans per gulam simul et per anum continuo ferme ac cum magna copia rejicitur. Morbus est acutissimus ideoque praesenti eget remedio. Pulsus admodum debilis est, respiratio molesta, membra externa frigent. Calor vehemens ac sitis interne urgent, vigiliae adsunt perpetuae. Jactatio corporis inquietissima, quae si comitetur frigidus ac foetidus sudor, mortem in propinquo esse, certissimum est."

Morbus iste endemius Indiae a. 1817. et ocyus ortus est et atrocius, quam solet, saeviit, more epidemiae contagiosae ac sequenti anno longe lateque dominavit. Initium erat plerumque a sensu plenitudinis ventriculi et intumescentiae abdominis, cum nausea et desiderio alvi exonerandae, quod continuo sequebatur excretio humoris limpidi, inodori, cum anxietate, strictura pectoris, siti et aestu interno. Brevi accedebant spasmi artuum. Pulsus cito decrevit, ut tangi non posset; respiratio gravis, celeris fiebat ac gemibunda, pallebat, livebat, frigebat cutis ac madebat sudore frigido. Facies hippocratica, cutis rugosa, vox

debilis, rauca, motus tremuli summam indicabant virium imbecillitatem. Sitis potu non restinguenda, vomitus, ardor, angor, inquietudo eo usque aegrum fatigabant, donec, extincto omni calore vitali, convulsus moreretur idque paucis ab ingressu morbi horis.

In corporibus mortuorum inprimis congestio venosa, in abdomine maxime portarumque vena inque pectore et capite adparebat atque ex partibus singulis ventriculus et intestina plurimum aegrotasse videbantur; adeo ut sub renisu maxime cavendum esset, ne per praeposterum stimulantium usum haec viscera inflammarentur.

Exinde, ab annis praesertim 1828 et 1829. omnem peragravit Europam. Erant illius signa maxime characteristica facies hippocratica, lingua frigida et frigidus pariter ex ore emissus spiritus cutisque frigida, rugosa, pulsus deletus, vox cholerica, ischuria, aestus internus, sitis, vomitus et alvi fluxus serosus, spasmi artuum, intacto sensorio. Sub altero autem stadio renisus: sopor, typhomania, typhi species, quem typhum adpellaverunt cholericum, in quo scilicet nec deërant alia cholerae symptomata.

Quas distinxerunt morbi varietates, rectius ejusdem varios gradus aut stadia nuncupare oportet. A diarrhoea cholerica ad choleram asphycticam una est morbi evolutio: quam ita discernunt nonnulli, ut tria stadia ponant: erethicum, evolutio-

nis, paralyticum, quibus tamen quartum addendum, reactionis sive renisus. Diarrhoeam cholericam ocyus tardius cholera asphyctica excepit. Quapropter illam involventibus, demulcentibus, opiatis cohibendo medici praevertere didicerunt ipsam cholerae explosionem, cujus gradus summus fere certo lethalis.

Leviores gradus secundum regulas therapeutices universalis oppugnare oportebat, sive sanguinem detrahendo, sive spasmos sopiendo, sive vires prudenter excitando: ita tamen, ut semper memores esse deberent medici instantis stadii renisus, in quo methodi calidioris poenas luit aeger, non aliter atque in typho, aut febre intermittente, in ipso morbi principio, aut frigoris stadio, ubi stimulantibus abusus fuerit medicus, reactio suscitatur inflammatoria.

De contagio disputatum est et diu et acriter, ut neque hodie ea lis videatur composita. Quod mirari desinetis, si cogitaveritis, vel de ipso pestis contagio inter sese a longo inde tempore disputasse medicos. Initio miasmaticum fuisse vero perquam simile: postea autem contagiosum factum esse, nequaquam dubitabit quicunque pandemiae hujus decursum contemplatus fuerit, quo ab influenza similibusque epidemiis miasmaticis multum distat: quamvis ab altera parte confiteamur necesse est, non eam vim contagii esse, quae pestis est, aut variolarum. Qui animo a partium studio

libero morbum observarunt, contagium adgnoverunt: quod in hac urbe adeo manifestum fuit, ut quo pacto ab uno aegro ad alterum progressus fuerit, indicari potuerit.

Vos si plura hac de re scire cupiatis, adeatis historiam epidemiae lugd. batavae a. 1833. editam.

Similiter de morbi natura quot capita, tot sensus. Sunt qui inflammationem dicunt; sunt qui vocant neurosin; sunt, qui dyscrasiis adnumerant; sunt denique, qui veneficiis comparaverunt eique potissimum, qui ab arsenico est. Et profecto videtur contagium, veneni adinstar, in sanguinem suscipi, per hunc genus nervorum, primo plasticorum, deinde animalium, sive cerebro-spinalium invadere sicque vel irritando obesse: unde cholera erethica existit, vel opprimendo: unde cholera exoritur paralytica. Hanc vim veneni in sanguinem testatur ipse sanguis de vena missus. Nervorum aegritudinem accusant spasmi et convulsiones et paralyses intestinorum, vesicae, cordis, pulmonum, medullae spinalis, cerebri.

Differt profecto haec pestis indica a peste aegyptiaca multis nominibus: verum minus differt a peste anglica sive ephemera sudatoria, a typho bellico, a dysenteria contagiosa, nec neganda cum neurosibus miasmaticis gravissimis adfinitas: cum febribus v. c. paludosis perniciosis. Quae cum ita sint, nonne probabili conjectura effici potest, duo in cholera asiatica componi elementa: alterum san-

guinis veneficium, alterum nervorum irritationem. Hanc autem primo prehendere nervos plasticos, ab hisce vero per medullam spinalem ad nervos animales traduci: dum tandem in ultimo stadio typhi species emergit; quae cum typho analogia etiam exanthemate peyeriano confirmari videtur.

Est certe major in morbis illis procreandis naturae simplicitas arctiorque cognatio, quam vulgo putatur. Nam plurimi primo miasmatici, inde fiunt contagiosi: ac vulgo primo sanguis, inde per sanguinem nervi aegrotant. Saepius enim nervorum aegrotantium symptomata sanguinis mutati indicia hujusque depravati querelae sunt.

Plerumque porro hae ipsae nervorum aegritudines ex officina plastica nervisque organicis originem repetunt et per reflectionem nervos cerebro-spinales adtingunt. Hac igitur via sanguis primo aegrotat, deinceps nervus sympathicus, tandem medulla spinalis, cerebrum horumque nervi et musculi, nervis adfixi ab iisque pendentes.

In cholera asiatica, ut ad hanc revertamur, cernimus epidemiarum miasmaticarum ducem ac principem maxime vigentem ac longe lateque dominantem, cernimus eam, quae neuroses intermittentes praeire harumque epidemiam praenuntiare solet summo gradu, *choleram* cernimus contagiosam factam idque eo tempore, quo febres intermittentes per omnem Europam regnabant, quo igitur per hasce reliquis morbis febrilibus epidemicis prae-

cellentes corpora ad ejusmodi epidemiam recipiendam maxime erant praeparata atque idonea facta quoque eminebat valdopere constitutio miasmatica, venosa, per quam systema venae portarum reliquis organismi systematibus praecellebat. Quamobrem haud ita mirandum, in hoc systemate praecipue aegrotante epidemiae cholericae fontem fuisse ac principium quaesitum.

Verum, ut in febribus intermittentibus altero stadio, caloris, crebrae notantur congestiones praesertim in capite, sic renisus stadio cholerae asiaticae eaedem congestiones crebrae sunt: unde typhi species nascitur atque nondum prorsus libera facta circulatione, inter magna demum vitae discrimina turbatum oeconomiae aequilibrium restituitur.

In aliis congestio fiebat in pulmone, eodem hoc stadio, in aliis in hepate, in aliis in intestinis, in quibus saepius increscebat in enteritidem, brevi plerumque funestam: hoc senioribus praesertim evenisse legitur atque universe aetas senescens magnopere periclitabatur. Symptomata critica erant: sudor copiosus, calidus, urinae secretio libera, pulsus increscens et rediens calor. Inprimis vero cavendum, ne, resuscitata circulatione, stimuli adhiberentur: simulque per fomenta frigida et revellentia capiti prospiciendum. Ex complicationibus denique omnium optima erat complicatio gastrica.

Hoc autem potissimum in cholera ista asiatica

mirationem movit, quod in summo morbi gradu, deficiente circulatione, sine pulsu, cute frigidissima, nulloque in vultu et habitu corporis turgore vitali, pergerent aegrotantes artus movere et loqui et sensibus essent integris intactoque sensorio; quod certe legibus videbatur physiologicis omnino contrarium, nec facile explicandum ac mirifice augebat horrendum morbi novi inauditique hactenus spectaculum.

Profecto si ullus morbus est, qui quam parum perfectam teneamus organismi scientiam, monstrat et quam mancam profiteamur medendi artem, hic est. Nam sive cogitemus morbi phaenomena, sive caussas naturamque, seu auxilia reputemus, aut ad praecavendum, aut ad tollendum morbum proposita, prae iis, quae scimus, longe plura esse, quae ignoramus penitus, confitendum est. Quo magis miror, medicos ex hac calamitate vix emergentes scientiae artisque suae laudibus ac praeconiis exsultare. Illud tamen emolumentum exinde in hanc medicinam nostram redundavit maximum, quod ab hoc inde tempore studium epidemiarum historicum denuo instauratum est eaque exstitit disciplina, quam pathologiam historicam vocant, quae, quam arcta cognatione historia et scientia medica inter se contineantur, luculenter ostendit; quamque turpiter errant, quicunque in sola anatome pathologica, aut in sola physiologia, aut in sola pharmaceutice spem ponunt rerum suarum.

QUAESTIONES.

I. Quid caussae esse videtur, cur cholera epidemica hoc demum seculo pandemiae vim nacta sit?

II. Undenam variae de ipsa prolatae sententiae originem repetunt?

HISTORIA THERAPEUTICES, SECULO XVIII et XIX.

Antiquiori therapeuticae humorali successerat nova per corticem peruvianum, tonica, antiseptica, cardiaca, febrifuga. Hanc exeunte seculo decimo octavo et ineunte seculo decimo nono excepit methodus nervina, partim stimulans, partim sedans, duobus debilitatis generibus adcommodata: torpidae nimirum et erethicae.

Initium factum est ab opio et vino, quibus utraque virtus inesse credebatur quaeque crebro sociata aegris porrigebantur. Et in opio quidem et excitandi est et sedandi potentia. Posteriorem vulgo quaerebant artifices atque curabant; priorem nimium negligebant, aut parvi faciebant. Illam autem prae aliis celebrabat BROWNIUS, cujus notissima vox est: *opium mehercle non sedat.* Atque ex hujus maxime doctrina hoc excitandi consilio

a medicis BROWNII asseclis liberaliter dari coepit *laudanum*, in febribus etiam nervosis, cumque vino propinari ejusque usus ad plurimas febres aliasque sive febriles, sive non febriles valetudines transferri, tamquam divinum astheniae, communis morborum vulgarium principii, remedium. Prius antiphlogistico adparatu excludebatur opium. Jam, posito inflammationum passivarum, asthenicarum genere, in hoc laudari atque mirifice extolli coepit; quodque probe notandum, est enim notatu dignissimum, in ipso hoc genere: inflammatione nimirum arthritica sive podagrica ab reformatore in proprio corpore adhiberi. Inde ad alias similes inflammationes opii usus translatus est: exanthematicas, mucosas, spasticas, gangraenosas (harum exemplo sit gangraena POTTII) plurimasque phlogoses erethicas, verbo eas, quas hodie neurophlogoses nuncupant. Nec mirum, dominante ac regnante constitutione nervosa, asthenica, non tantum opium, verum et alia quamplurima stimulantia nervina a principibus in arte viris, ab HUFELANDO, FRANKIO, aliis crebro fuisse usurpata atque inter morbos chronicos quoque principatum tenuisse neuroses, de quibus numerosae perscriptae sunt monographiae WHYTTII, TISSOTI aliorumque recentiorum auctorum, nostratium etiam MICHEL, BICKER caet., quae testantur hoc, de quo agimus, tempore, neuroses istas plurimum fuisse pervulgatas. Itaque ad supellectilem medicam accesse-

runt remedia nervina, tam ex vegetabili, quam ex animali, quod dicitur, regno: radices et herbae et flores et semina et gummi resinae et olea aetherea et aetheres et castoreum et moschus et ammonium, diversimode composita, aliis aliisque corporis partibus admota. (1).

Et profecto erat, ante mutatam reipublicae in Gallia formam, constitutio asthenica genio seculi adaequata, quam secuta est erethica primum, deinde phlogistica, magis tamen gastrica illa et venosa, quam arteriosa.

Numquid mirabimur, nervinam illam excitantem methodum excepisse aliam, pariter nervinam, sed sedantem atque stimulis, qui vocantur, volatilibus successisse narcotica, quorum et numerus ingens et usus uberrimus.

Hanc rerum mutationem testantur in Italia doctrina contrastimuli, in Germania doctrina debilitatis irritabilis et vero venenorum narcoticorum creberrima administratio, tam in acutis, quam in chronicis morborum generibus, quibus reformatoris franci methodus anteposuit depletionum topicarum potionumque demulcentium, mucilaginearum usum. Inde novum incrementum cepit sylva

---

(1) Hoc non ita accipiendum, ac si prius et pridem plura ipsorum non fuerint abhibita. Verum eo sensu dicitur: tunc demum hanc nervinorum classem fuisse perfectam ac methodum nervinam aliis praepositam.

medica, additis medicaminum reliquorum apparatui venenis narcoticis, tam acribus, quam simplicibus horumque compositionibus multifariis, quorum laudibus atque encomiis annales medicorum resonabant.

Quae therapeutices mutationes vitam torpentem primo, deinde incitatam tandemque renitentem declarare videntur; cui postremae periodo non tantum Broussaissii antiphlogosis, verum pariter Italorum doctrina contrastimuli et Sam. Hahnemanni medicina homoiopathica respondet.

Est igitur tam in morbis, quam in morborum medelis continua progressio animadvertenda, quoque magis praecelluerit homo nervosus, eo major adparuit nervorum valetudinis curandae necessitas, ex quibus videlicet totius oeconomiae salus proxime pendet quique non tantum sensum motumque, verum omnem praeterea vitam organicam omnemque processum plasticum moderantur et regunt: ut ingens numerus insanientium et psychiatriae summa hoc, quod vivimus, aevo incrementa et magnetismi, qui dicitur, animalis miracula luculenter ostendunt. Nec tamen prae constitutione nervosa negligenda est constitutio venosa, quae cholerae epidemicae viam paravit et cum morbis systematis venosi, horum protulit morborum remedia, inter quae principe quodam loco numerare oportet laurocerasum aliaque, quae acidum continent hydrocyanicum.

CONSECTARIA.

I. Quemadmodum antiquissima therapeutice fuit humoralis, sic nova etiam sanguini potissimum medendo adcommodata est: exemplo sit usus acidorum et aquae oxymuriaticae in typho, alcalinorum in febre miliari caet.

II. Methodus nervina, quae nostram aetatem proxime antecessit, secuta est adstringentem, roborantem, cardiacam.

III. Haec partim stimulans, partim sedans fuit et ab *opio* inprimis, utramque vim conjunctam habente, orsa est.

IV. Pharmacodynamice Hahnemanni, doctrina contrastimuli, medicina Broussaissii ad unam referendae videntur historiae morborum epocham.

V. Pharmaceutice physiologica, quae hodie viget, proxime cum priori disciplina nectitur, quamquam novam orditur pharmaceutices periodum.

DE MORBIS EVOLUTIONIS GENERIS HUMANI.

Historia pandemiarum generis humani docemur, esse aliquam in ipsis evolutionem animadvertendam: qua, singula vitae generis humani periodo, singulam aetatem designare videntur. Nam

ut primam aetatem orientales repraesentant, sic in horum morbis pandemiis infantiae vitam, vegetativam illam, cernimus. Inter Graecos pueritiae morbos vigentes videmus. Aevo medio regnarunt morbi juventutis. Hoc autem, quod vivimus, seculo declinantis aetatis notantur morbi pandemii.

Plasticae vitae vigentis aetatem declarant lepra, pestis; quas inter Graecos excepit erysipelas, inter Romanos calculus eique adfinis arthritis.

Aetate media mors nigra et chorea sancti Viti designant pulmonum et genitalium evolutionem. Secutus est rheumatismus, scorbutus, typhus petechialis. Hos exceperunt typhus abdominalis, intermittentes, cholera, verbo morbi autumnales aetatisque senescentis, vigente systemate abdominali venoso ac systemate portarum. Nam evolutionem sequitur involutio, dominium arteriarum sequitur dominium venarum et constitutio venosa.

Sunt tamen quaedam notanda circa pandemias illas mundanas. Nempe quod vulgo ab oriente ad occidentem migrarunt quodque in Europa peculiarem induerunt characterem europaeum, atque diversimode compositae saepenumero novas nactae sunt formas. Hoc pacto pestis inguinaria in typhum petechialem, hic in typhum abdominalem abiit. Lepra cum morbis genitalium procreavit syphilidem, Ex cholera asiatica, altero renisus stadio, prodiit typhus cholericus. Erysipelas veterum transiit in rheumatismum recentiorum, postquam ex

elemento scorbutico et elemento rheumatico ortus erat sudor anglicus. Pariter antagonismus animadvertendus est inter cutim et membranas mucosas cumque orienti propria sunt exanthemata cutanea, occidenti magis propria sunt exanthemata mucosa, cujus typhus abdominalis notissimum obfert maximeque vulgare exemplar.

Nec raro inter morbos illos epidemicos notantur critici, ut de nonnullis difficile dictu sit, num major pars renisui debeatur vitali, an morbo eum renisum excitanti.

Praeterea alii stadium prodromorum, alii stadium eruptionis, alii denique declinationis stadium repraesentant. Ad priores pertinent catarrhi epidemici, sive influenzae, quae saepius graviores epidemias et praesagiunt et praecedunt. Ad alteros febres, sive pestilentes contagiosae, sive miasmaticae, typhosae, aliae. Ad postremos intermittentes atque profluvia.

Quodsi quae hactenus de pandemiarum, sese invicem subsequentium, ordine disputavimus, memoria recolamus, nexu quodam organico eas cohaerere intelligemus. Nam ut leprae et pestis arctior est cum genere lymphaticorum cognatio, ita ex officina prima prodierunt non tantum causus et erysipelas Graecorum, verum etiam Romanorum arthritides, lithiases veterumque neuroses. Aevo medio pestis, lepra et erysipelas pulmones prehenderunt, arterias, genitalia: unde mors nigra, ig-

nis sacer, syphilis, dum, per nervos sympathicos excitata medulla, chorea epidemica in scenam prodiit. Dyscrasiam leprosam lymphaticam secuta est arthritica primum, deinde scorbutica, sanguinea, quae in sudore anglico et typho petechiali superstites, partim in rheumaticam transierunt, partim in typhosam. Sic intestinorum rheumata, catarrhi gastrici, exanthemata mucosa, febres gastricae, mucosae, nervosae, sic typhi pulmonales, anginosi, hepatici, abdominales, sic intermittentes, febres miasmaticae, sic cholera epidemica exstiterunt, in quibus praeter sanguinem nervorum genus aegrotabat et praeter cutim externam cutis interna processu exanthematico adfecta atque emunctorii vice functa est.

Itaque in primaevis morbis lympham, in posterioribus sanguinem, in ultimis nervos plurimum laborasse, existimaveris: in hisce saltem symptomata praecipua sese manifestasse, ut per morbos plasticos ad haematoses, per hasce ad neuroses factus videatur transitus.

Nolite tamen putare, alteris alteros proscribi. Nam uti provectiori aetate interdum junioris aetatis morbos renasci videmus ipsosque senes puerorum, aut juvenum morbis prehendi, ita plures simul observamus valetudines variarum aetatum provenientes. Rei testimonio sint pestis, quae usque ad seculum XVIII Europam devastavit, cum typho petechiali de principatu certans: et inter-

mittentes cum febribus exanthematicis, dysentericis, typhosis alternantes: et leproides cum syphiloidibus coaevae et cum erysipelaceis rheumata cumque rheumatibus catarrhi, et cholerae epidemicae cum influenza, cum intermittentibus, cum typho cognatae atque diversimode conjunctae. Nimirum novis semper accedentibus elementis morborum, major horum et numerus exstitit et complicatio, nec raro sub nova forma prodiit morbus antiquus. In scrofulosi v. c. superest dyscrasia lymphatica, varioloïdes variolarum orientalium progenies sunt, per vaccinam mutata, veterum lithiasis et arthritis in rhachitide, cordis et arteriarum aneurysmatibus, malaciis aliisque organicis textus ossei et fibrosi morbis perennant. Scorbuticae dyscrasiae in stomacace, ulcere noma, morbo maculoso haemorrhagico cernuntur vestigia. Rheumaticae denique vim testantur endocarditides, gastritides, enteritides rheumaticae, passio iliaca, catarrhi vesicae, scirrhi fibrosi, tumores articulorum et neuralgiae quamplurimae: hemicrania, ischias nervosa, aliae.

Quo pacto autem varia elementa componantur, hae ipsae neuralgiae commonstrant, in quibus dyscrasia multiplici nervorum genus laeditur: unde neuralgiae proveniunt scorbuticae, arthriticae, rheumaticae, carcinomatosae, scrofulosae, aliae, per remedia singulis propria oppugnandae. Est autem hoc loco animadvertendum, sub constitu-

tione nervosa factum esse, ut illae, quas memoravimus, dyscrasiae sub forma ac specie neurosium se manifestent, quae sub constitutione phlogistica inflammationum forma ac specie prodire consueverant.

Ipsi elemento typhoso, quod dyscrasia quaedam subsit, recentiorum observatio medicorum, eorum potissimum, qui anatomen pathologicam majori studio colunt, docere videtur: siquidem in morbo hocce febrili acuto suppar processus heteroplasticus atque in chronicis morbis parasiticis fieri notatur, naturae opera perficiendus, cujus beneficio materies peregrina deposita e corpore eliminatur.

Quae reputanti mihi mentem percellit mira cum processu digestionis, cum processu excretionis et cum processu exanthematico hujus processus typhosi analogia, summam indicans legum organicarum simplicitatem et constantiam. Neque in aliis etiam desideratur organismi functionibus, tam sanis, quam morbosis eadem haec constantia ac simplicitas. Cogitate quaeso, quae de inflammationibus catarrhalibus, polyposis, aliis nuper docuit eximius anatomes pathologicae cultor Carol. Rokitansky: contemplamini, eodem duce atque interprete, processum catarrhalem, polyposum, dysentericum, typhosum, tuberculosum, alio alioque loco corporis, in aliis aliisque organis, sive elementis organicis, nec desperabitis fore, ut aliquando anatome, aut si mavelitis, physiologia pathologica

comparata, chymiae organicae sociata, (si pari studio cum nosologia historica et geographica colatur historia naturalis morborum) nobis scientiam morborum organicam pariat sicque philosophiam nosologicam adornet atque systema concinnet morborum naturale, scientiae medicae fundamentum firmissimum.

Hoc autem fine ut tandem potiamur, ante omnia requiritur fauna nosographica cujusque orbis regionis. Oportet, ut medici patriae cives morbos patrios endemios summa cura investigent adcurateque describant, genera, species, varietates indagantes cumque descriptionibus antecedentium medicorum conferentes: ut, quid clima, quid anni tempestas, quid corporis aegrotantis, quid constitutio regnans discriminis adferat, diligenter notent, nec praetermittant vim methodi et remediorum adhibitorum adnotare, ut explorent morborum compositiones, metamorphoses, decursum, exitum: ut his adjungant genera hybrida et anomalias: ut quaerant maxime adfinitates naturales et naturales pariter characteres, ut ipsam condant terminologiam nominibusque technicis propriis addant nomina vulgaria nihilque negligant, quo notiones ac definitiones adaequatae effici possint.

Eodem consilio etiam de distributione geographica morborum quaerendum est, deque physiognomia pathologica, comparate ad physiognomiam botanicam et zoologicam, de morbis animalium,

de morbis plantarum, de morbis aetatum, qui, nisi condita physiologia aetatum, cognosci rite aut intelligi nequeunt.

Quapropter optandum foret, ut historia vitae et physiologica et pathologica majori, quam hactenus factum est, diligentia et industria coleretur ipsaque anthropologia crearetur historica, quam inter desiderata hactenus recensemus.

Intelligitis, quantum operis restet, quod exantlandum, antequam voti nostri compotes fieri possimus. Agite igitur manum operi admoveamus, ut per nostram quoque industriam praeclara haec scientia nostra proficiat!

CONSECTARIA.

I. Historia pandemiarum physiologiae generis humani varias periodos denotat.

II. Hae, comparatione aetatum hominis singuli, explicari probabiliter possunt.

III. Ex paucis numero elementis ingens prodiit morborum, quales cernuntur, compositorum progenies.

IV. Febres et inflammationes communes sunt organismi renitentis formae ac species.

V. Vulgo hisce subsunt dyscrasiae, alio tempore aliae.

VI. Iisdem tribuendae neuroses, tamquam symptomata generis nervorum reflectentis.

VII. Itaque principium et fons morborum in vita plastica est, sive haematosium, sive neurosium forma sese manifestent.

VIII. In pandemiarum explicatione et aetatum generis humani et populorum discrimen notandum est.

IX. Nec negligenda contextus organici, cui maxime infestae sunt, diligens animadversio.

X. Atque decursus et exitus naturalis, spontanei observatio.

DE HISTORIA MORBORUM.

PARS ALTERA.

Hactenus pandemias eo ordine contemplati sumus, quo altera alteram secuta est cunctaeque evolutionum organicarum generis humani seriem ostendunt. Jam pandemiarum illarum contemplabimur complicationes et compositiones, eo maxime consilio, ut quomodo inter se cohaereant, cognoscatur, initio facto a seculo decimo sexto, quo pestis petechialis pestis antiquae aegyptiacae et syphilis leprae orientalis in regno successores et haeredes futuri longe lateque dominare coeperunt.

Hoc seculo nascente saeviit pestis inguinaria per omnem Europam. Per Italiam autem praesertim regnavit typhus petechialis, angina ulcerosa maligna, sive pharyngotyphus, et pneumotyphus, in quibus cunctis horum temporum constitutio pestilens eminebat. Eminebat pariter in febribus tertianariis morboque epidemico inter juvenes in Gallia grassante, quorum in altero mucosa intestinalis, in altero cutis exanthemate petechiali prehensa videbatur, uterque vero ad typhum petechia-

lem referendus manifesta exhibuit cerebri generisque nervorum per sanguinem aegrotantium indicia. Posterioris morbi hanc memoriae prodidit relationem FORESTUS nostras *Obss.* lib. VI. cap. 7. (Est scilicet relatio LIVINI SANDERII, in epistola ad ipsum data). » De morbo quodam hic publice grassante quaedam scribere proposui, quem hic vulgo *Trousse Galant* vocant, eo, quod omnes juvenes et maxime vividiores ex medio tollit. Morbus hic grassans est febris pestilens, quae singulo vespere exacerbatur. Accedentia febris haec sunt: aut continua vigilia, quae aegrum ad phrenitidem tandem ducit, aut continuus sopor, qui in lethargum transit: dolor plerumque capitis adest in principio et renum calor, cum lassitudine totius: vermium maxima copia, qui ex putredine generantur quique sursum repentes vivi per os evomuntur, non sine magno cruciatu, ita ut fere strangulati aegri videantur. Plerisque et exanthemata erumpunt idque aliquibus in principio, non sine magno malo: quibus vero in declinatione ea appareant, signis coctionis praecedentibus, ii quoque melius evadunt. — Morbus hic plerumque quarto die terminatur, aut etiam undecimo."

De curatione monet, maximum remedium esse plebotomiam, tum propter tempus anni vernum, tum propter aetatem, tum propter materiem peccantem. Se quoque uti mixturis cordialibus, quae vermium generationem prohibeant et cor a materie

venenosa muniant, cum parum a peste distet et ipsa contagiosa sit, et in fine status, cum signa coctionis adpareant, medicinam purgantem dedisse: neque esse movendum, nisi adparentibns signis coctionis, alioqui simul bonum cum malo expelli.

Erant igitur in hoc morbo signa sanguinis nervorumque aegrotantium: nec deërant officinae primae laesae symptomata.

Medio seculo decimo sexto tamquam aequis viribus inter sese dimicabant pestis inguinaria et typhus petechiâlis, ut jam illa jam hicce regnare in Europa ac dominare videretur. Id quod Petri Foresti pestis delphensis descriptione cernitur. Ea pestis exorta est a. 1557. post magnam annonae caritatem atque saevissima nulli aetati pepercit. Paulo ante illud tempus multa exanthemata, maxime vero in pueris adparuere, tamquam pestis futurae praesagia, quae, licet citra pestem, aliquando adparent. Vulgo bubonibus, anthracibus, carbunculis, pestem se, ut erat, ita manifestavit; subinde vero, hisce deficientibus, communia duntaxat obtulit febris pestilentis symptomata atque sive per typhomaniam, sive per puncticulas, lenticulas, purpuram, petechias ad typhum petechialem adpropinquabat. Pestem secuta est variolarum et morbillorum epidemia. Perque omnem Europam grassante eadem, ecce a. 1566. exorta est febris hungarica, quem typhi petechialis nomine

insigniendum esse, arbitratur HAESERUS, in quo tamen ex victu et climate simul complicatio gastrica subfuerat, cujusque postea memoria deleta est, quum elementum typhosum varia sua ac multiplici forma melius semper et adcuratius cognosci coepit. Multum etiam emendata fuit harum febrium petechialium et pestilentium medendi ratio. Qui sanguinem mittebant (sunt verba PALMARII, epidemiam parisiensem a. 1568. describentis) vel valida cathartica propinabant, fractis naturae viribus, mortem accersebant. At contra, qui tota morbi progressione adversus occultam et malignam perniciem cardiacis tum alimentis, tum medicamentis pugnabant, quam plurimos a morte vindicabant. Incredibile dictu, quam multos necarit eorum, qui nihil in febribus praeter intemperiem, obstructionem et putredinem agnoscunt, imperita stoliditas. Hi enim a neglecta venenata pernicie, quae praecipua erat mali causa quaeque, repressa putredine et etiam edomita, aegros saepe de medio tollebat, dum purgandi et mittendi sanguinis nullum finem facerent, attrito naturae robore, omnes fere misere perdebant."

Exinde frequens cum apud FORESTUM, tum apud BALLONIUM fit mentio febrium gastricarum, cum complicatione verminosa. Hic, BALLONIUM volo, circa ann. 1574. vulgo observari maculas, monet, rubras, puncticulas vocant, quum tamquam pulicum morsus adparent, ecthymata, quas vulgus

purpureas nuncupat, variolas et rubeolas. Crebro pariter memorat inflammationes erysipelaceas pulmonum, faucium, intestinorum, catarrhos, rheumata febresque intermittentes, remittentes, ex intermittentium genere, cum manifestis signis cerebri, spinaeque medullae et nervorum aegrotantium. Sub hac igitur constitutione erysipelatosa pestis exorta est perque Italiam grassata, in qua cum symptomatibus pestis inguinariae capitis dolores, deliria, vomitus, petechiae adfinitatem cum typho petechiali, HAESERO interprete, ostendebant.

Exeunte seculo decimo sexto, aequales atque coaevas tam pesti, quam typho petechiali extitisse ferunt influenzae, raphaniae, dysenteriae epidemias. Erant autem cunctae ex erysipelacearum familia, curationem antiphlogisticam nequaquam tolerantes. De peste illud diserte notavit CAXANES: » in ea saevissima peste, inquit, quae a. 1585. hanc urbem (Barcelonam) invasit, major pars eorum, quibus sanguis fuit detractus, interiit, quamplures vero citra venae incisionem, theriaco, mithridato, bolo armeno, dictamno, scordio, sanitati fuerunt restituti. Citissimo enim, sanguine misso, corpus exsolvebatur, etiamsi cum insigni sanguinis copia antea robur virium obtineret."

SECULUM DECIMUM SEPTIMUM.

Talibus sub auspiciis exoritur seculum decimum septimum, sub cujus initium per Italiam et vicicinas regiones regnarunt pleuritides et pleuroperipneumoniae erysipelaceae. Ab auctore, hujus temporis teste, dicuntur: pleuritides, anginae, destillationes contumaces, febres mali moris, pneumoniae complures, cito aegros interimentes; deque iis alius haec refert: historia pleuritica et peripneumonica, quae feminas praesertim et senes callienses et canthianos ob virium imbecillitatem et naturas jam destillationibus et catarrhis obnoxias epidemice interfecit, etiam praeteritis annis quamplurimos Urbini, Pisauri Fanique citissima morte propter anni frigidam humidam et nivosam constitutionem et subsequentem aquilonarem devastavit."

Regnarunt eodem tempore pestis, angina ulcerosa maligna et dysenteria. Anginae epidemicae contagiosae in Hispania primum visae, ibique sub nomine carbunculi anginosi vulgo notae, illud peculiare habebant, quod non tantum fauces, nares, oesophagus, ventriculus, verumetiam trachea et pulmones morbo prehenderentur cutisque in vicinia exanthemate rubro tingeretur. Anno autem 1613, pestis illa anginosa tanta atrocitate per His-

paniam saeviit, ut annus hicce a garrotillo annus anginosus postea dictus fuerit. In Germania, Gallia et Italia anno 1604—1609. epidemia dysenterica observata legitur.

Neque ita diu post bellum exarsit triginta annorum cumque eo typhus petechialis eique adfinis scorbutus epidemicus. Ecquis mirabitur, LOTICHIUM, hujus aetatis scriptorem medicum, et drastica et narcotica maximopere reprobantem, praesertim vero stibii et mercurii abusum carpentem, haec scripsisse: antimonialia, inprimis mercurialia ab horribili effectu, quem cum damno et manifesto vitae discrimine in multis ediderunt, sacra, horrenda fugiendaque esse, compertum est" huncque abusum temerarium, tyrannicum, truculentum vocavisse.

Hujus pariter generis fuisse videtur febris castrensis, quae anno 1643. in Anglia grassata est, quam descripsit THO. WILLIS hunc in modum: » Cum ineunte vere, Essexiae comes Redingam, praesidio regio defensam, obsidione premeret, in utroque exercitu morbus admodum epidemicus exoriri coeperat, utcunque tamen operi insistente illo, donec inclusi ad deditionem cogerentur; affectus ingravescebat adeo, ut brevi postea utrinque discessum et deinceps plures menses non cum hoste, sed morbo pugnatum fuerit: ac si exitiabili ingruente lue, in aliud mortis genus, districtis jam et veluti huic uni incumbentibus fatis, divertere,

non esset otium. Essexius castra movens Thamae locisque adjacentibus consedit, ubi magnam suorum partem brevi requisivit. Rex vero Oxonium rediit; ubi militibus primo in campo aperto, dein postea per oppida et vicos dispositis, non multo leviora passus est: pedites enim ejus (quos praecipue invasit) gregatim in arctis contuberniis collocati, cum omnia squalore, immunditie et foedis odoribus implevissent (ut ipsum aëra inquinasse viderentur) catervatim et quasi per manipulos aegrotabant. Tandem febris, jam plus quam castrensis, incarnem et imbellem turmam militum, nimirum hospites aliosque quoslibet passim invadit, qui primo (lue adhuc mitius inflicta) licet gravi et diuturno languore obsessi, plerique tamen evaserunt. Circa solstitium aestivum febris haec cum pejori symptomatum apparatu etiamnum increbrescere et plurimos colonos aliosque ruri habitantes occupare coepit. Dein postea in hac urbe nostra et universa vicinia per decem, ut minus, miliarium spatium grassabatur. Interim qui in aliis regionibus procul hinc degebant, velut extra contagii sphaeram, noxa immunes perstiterunt. Hic vero morbus iste in tantum epidemicus evasit, ut maxima pars mortalium eodem inficeretur; quamcunque domum intraverat, statim totam adoriebatur, ut vix ex anis superessent, qui male habentibus ministrarent, advenae aut conductitii in aegrorum ministeria vocati, mox eadem corripiebantur lue; ut demum

prae contagii metu ex hac febre decumbentes, fere ac peste laborantes, a sanis vitarentur.

Nec minima quidem pernicies, aut mortalium strages hunc morbum comitata est: quippe senes cachectici, phthisici, aut alias invaletudinarii quamplurimi hoc fato interiere: etiam puerorum, juvenum, maturae et robustae aetatis hominum, non pauci. Memini in quibusdam villis seniores fere omnes hoc anno vita abreptos, ut vix superessent, qui traditionibus antiquitus receptis, paroeciae mores et privilegia tueri potuerint.

Quando haec febris primo incepit, synochi putris typum nonnihil referebat; erat tamen judicatu difficilior et cum sudore aut diarrhoea solvi videretur, statim recrudescere solita erat: plerumque vero post sanguinis deflagrationem, per sex aut septem dies continuatam, hac remittente et criseos vice materia adusta in cerebrum translata, cum furore nonnunquam, saepius cum torpore, imbecillitate magna et aliquando motibus convulsivis aegri longo tempore decumbentes vix tandem evaserunt. Circa mediam aestatem, praeter contagium et funerum frequentiam, signis apertis, scilicet exanthematum et macularum eruptione, hic morbus vim suam malignam et pestilentialem prodidit: quippe sub hoc tempus, multis sine magno febris incendio pulsus inaequalis, debilis et plurimum inordinatus, etiam sine manifesta spirituum expensa, vires statim languidae et valde dejectae

evaserunt: aliis simili ritu decumbentibus, papulae modo exiguae, rubrae, modo latae ac lividae apparebant; in multis bubones (ut in peste) circa adenes: ex his nonnulli, sine magna spirituum lucta, aut excandescentia febrili in cruore citata, tacite et improviso moriebantur: interim alii mox furibundi, quoad vitae participes fuerunt spirituum animalium distractiones horrendas perpessi sunt. Ex hoc morbo evasuri sine crisi laudabili (nisi sudore ab arte provocato citius liberarentur) cerebro demum ac nervoso genere affectis, cum sensuum stupore, tremoribus, vertigine, membrorum debilitate ac motibus convulsivis, non nisi post longum tempus convaluerunt. Durante canicula hic morbus usque infestus non uti febris, sed velut mitior pestis tractari et remediis tantum alexipharmacis expugnari coepit: phlebotomia huic usque fatalis credita est, vomitoria et purgationes interdum, licet non ita crebro, usui fuerunt; potissima autem medendi ratio in alexiteriis et diaphoresi tempestive procuranda statuebatur. In hunc finem, praeter medicorum praescripta e pharmacopolis petita, remedia quaedam empirica laudem non exiguam meruere; tunc primum in hac regione pulvis comitissae Cantii magni nominis esse coepit: etiam non minimae notae fuit pulvis alter cineritii coloris, quem aulicus quidam, in hac urbe forte diversatus, bono cum successu pluribus exhibuit aliisque ejus usum probantibus mag-

no pretio venalem exposuit: solebant aegri ab hujus semidrachma in quovis liquore propinati in sudorem copiosissimum incidere adeoque a morbi virulentia liberari: fuit diaphoreticum illud (cujus praeparationem ab authoris consobrino postea edidici) solummodo bufonum sale expurgatorum, dein vino optimo lotorum et in olla fictili leviter calcinatorum pulvis. Vergente autumno, hic morbus de solita atrocia sensim remittebat, ut pauciores aegrotarent et eorum plurimi convalescerent, donec incumbente hyeme, febre ista fere in totum evanida, status denuo salubris in hac urbe et rure circum circa in solidum reddebatur."

Nullum dubium est, quin haec febris generis typhosi fuerit proximeque convenerit cum typho petechiali, tunc temporis plurimum vulgari.

Dum in Gallia et Belgio observabantur dysenteriae epidemicae, omnem fere Europam cultiorem devastavit pestis, in obsidione Bredana cum scorbuto epidemico visa et cum febribus quartanis, in Germania cum typho petechiali et dysenteria; in Italia exceperunt eam tertianae intermittentes. Post biennium secuta est peripneumonia notha, sive pneumotyphus inque patria nostra adparuit pestis, quam, Neomagi et Leidae praesertim grassantem, memoriae consignarunt Diemerbroeck, Paauw, Florentius, nostrates.

Pestem Hafniensem, Bartholino teste, praecesserunt tertianae perniciosae, quarum symptomata

erant: dolores occipitis, dorsi, lumborum graves, deliria, petechiae cum paroxysmo periodicae, abscessus in collo, bubones, oedemata, diarrhoea, dysenteria, gangraena a decubitu, reconvalescentia lenta. Juvasse alexipharmaca, diaphoretica feruntur. Eas exceperunt febres petechiales, quas secuta est pestis inguinaria: hanc vero variolae epidemicae malignae. Itaque haec fuit eo tempore Hafniae series epidemiarum: tertiana perniciosa, typhus petechialis, pestis, variolae; circa quam illud animadversione dignum est, in tertiana jam petechias et bubones, tamquam febrium pestilentium praenuntias, adparuisse.

A seculo decimo septimo medio in Anglia populares factae sunt intermittentes, quas primum observavit Tho. Willis, deinceps Tho. Sydenham. Quas hic memoriae prodidit constitutiones epidemicas, fuere sequentes. Constitutio prima ann. 1661—1664. fuit autumnalis, regnantibus lateque dominantibus intermittentibus, tum tertianis, tum quartanis, tum remittentibus ex intermittentium familia. Hanc secuta est pestilens ann. 1665 sq. nec tamen sine phlogosi. Pestilentem excepit variolosa ann. 1667—1669, variolis legitimis regularibus. Variolosam dysenterica ab ann. 1669—1672. eaque orta ab cholera ann. 1669, sub qua militabant et morbilli ann. 1670. et variolae anomalae ann. 1671—1672. utraeque graviter inflammatoriae et colica denique biliosa ann.

1670—1672, pariter inflammatoria: quae igitur constitutio erysipelatoso-inflammatoria dici haberique posset.

Quod si ordinem spectemus, quo se invicem secutae sunt hoc tempore, observante SYDENHAMO, epidemiae, animadvertere oportet: pestem inter febres intermittentes ab una parte et inter variolas a parte altera fuisse intermediam, ita quidem, ut pestem secutae sint variolae.

Post constitutionem epidemicam ann. 1671—1673. circa initium Julii a. 1673. nova fertur constitutio ingressa, quae, si omnia adcurate perpendamus, fuisse videtur rheumatico-nervosa, reflectentibus cerebro et medulla spinali. Hujus generis fuit primo febris rheumatica nervosa, aut si mavelitis, typhus rheumaticus, insignis: dolore capitis, dorsi, articulorum, stupore et comate, cui optime medebantur revellentia, derivantia, refrigerantia, acida. Militabant sub hac constitutione morbilli et variolae anomalae, ejusdem prosapiae parique methodo curandae, nec non tusses epidemicae a. 1675, sive finem constitutioni huicce imponebant, sive cum aliis sequentium annorum morbis copulabantur.

Interim monendum est, per omne hocce tempus, MORTONO auctore, ita reliquis praecelluisse intermittentes, ut has tamquam principes morbos epidemicos salutaret: quod utrum inde repetendum sit, quod MORTONUS in urbe antiqua inter pau-

peres, SYDENHAMUS in urbe nova inter divites artem faceret, an ex amore MORTONI, quo novum febrifugum amplectebatur, equidem dicere non ausim. Forsitan media inter utramque sententiam, vera haberi jure poterit.

Intermittentibus maxime epidemicis, in Germania et Dania epidemicae fuerunt dysenteriae, naturae erysipelaceae, in quibus maculae rubrae (erythemata) in manibus aliisque locis visae, non infimum malitiae signum existebant, quae tamen in epidemia saltem danica una cum febribus quartanis, facile in typum continuum transmutatis, cum prodirent atque cortici peruviano ab HON. FABRO et THO. WILLISIO in hoc morbi genere laudato cederent, nexum cum intermittentibus manifestum faciebant.

Typhus petechialis in provinciis rhenanis et alibi eodem fere tempore occurrebat, cum complicatione verminosa, cui stibiatum emeticum medebatur, nocente plurimum venaesectione. Ab anno 1675. iterum emicuit pestis, Africam, Hispaniam, Hungariam, Austriam peragrans, Viennae praesertim funesta, deinde Lipsiae, praeeuntibus febribus, tam intermittentibus perniciosis, quam petechialibus et miliaribus, quarum symptomata propria a peste non aberant, nec ipsum exanthema, neque critica sudoris significatio, neque anxietas, neque artuum dolores. Saeviebat praeterea et Halae Saxonum inque comitatu Blancoburgensi.

Quemadmodum praeiverant pestem intermittentes epidemicae, sic eandem ipsae secutae sunt, una cum typho petechiali atque dysenteria, cui optime medebantur ipecacuanha et acida vegetabilia. Hoc autem tempore character miliaris morbis epidemicis videbatur impressus, quo inter singulos cognatio ostenditur (*).

Ad ultimos seculi decimi septimi annos pertinent constitutiones epidemicae mutinenses, quas tradidit Bern. Ramazzini quasque hoc loco ipsius verbis referam. Prior ann. 1690. intermittentium fuit gastricarum, quas comitati sunt catarrhi praefocativi, apoplexiae, epilepsiae, cachexiae, hydropes. In urbana epidemia anni sequentis prae caeteris morbi pectoris observati inque cadaveribus eorum, qui ex iis obierant, reperti sunt polypi non solum intra cordis sinus, verumetiam intra ipsam aortam. Nec deërant in vivis erysipelata in urbana hacce hujus temporis constitutione, quam rheumaticam habuisse videtur vir cl. Vere insequente tertianae febres denuo caput extulerunt, neque unquam annus scabiosior visus est. Exacto vere, aestas suc-

(*) Cf. Franc. Seitz vir doct. in monographia de hoc morbo sub titulo: *der Friesel. Eine historisch-pathologische Untersuchung.* Erlang. 1845. Is Lipsiam esse exanthematis miliaris locum natalem contendit ibique a. fere 1650. propria sua ac peculiarî forma prodiisse. ibid, pag. 41 sqq. idque primum in puerperìs.

cessit ferventissima et autumno intermittentium epidemia pertinacissima exorta est, apparentibus in cute papulis, tamquam variolarum prodromis, juvante china china, quae in priori epidemia ann. 1690. nocuerat.

Annis 1692, 1693, 1694, sub atmosphaerae conditione toto coelo diversa, qui cum urbem, tum villas et vicina oppida multis funeribus infestavit, fuit febris purpurata, seu petechialis, quae circa aequinoctium vernale anno 1692. primo caput extulit ac mox, per totum veris tempus et partem aestatis usque ad canis exortum, sub peticulari larva saevitiem suam exercuit. Ubi aestas incanduit, febris haec purpuram deposuit, nec illam resumpsit, donec calor aestivus coeperit remittere, circa arcturi exortum, vestem quidem, sed mores ac genium haud quaquam mutans: febres enim, quae in summo aestu sine peticulis visebantur, haud secus malignae erant indolis, quam vibices post mortem apparentes satis demonstrabant. Symptomata, quae febrem hanc malignam comitabantur, antequam peticulae apparerent, erant: ingens totius dorsi lassitudo, capitis dolor, aurium surditas, faucium ardor, mentis stupiditas, praecordiorum anxietas, et totius corporis segnities. Dorsi vero et regionis lumbaris lassitudo adeo certum erat febris peticularis signum, ut raro falleret: quin sub initium hujus pravae constitutionis, antequam febres istae palam grassarentur, mulie-

res, quae aliquando ad morborum symptomata attentiores sunt, quam medentes ipsi, ex hujusmodi suorum aegrotantium querela febris naturam praenunciabant et medicos monebant, cauto opus esse, nec temere celebrandam phlebotomiam; quarum dictis ac praesagitionibus cum persaepe medentes non auscultarent, apparentibus postea maculis, multa probra ab iisdem cum artis dedecore perferre cogebantur. Si vero faucium ardor cum genarum rubore accessisset, hostem detectum clamabant, nec amplius haesitandum de febris natura, jam in faucibus prodentibus se peticulis. Profecto in hac malignarum febrium pertinaci constitutione, quae per triennium saeviit, medicis non minus cum mulierculis, quam cum febre luctandum fuit, adeo ut (quod fateri non pudet) sicuti inferius exponam, necesse fuerit, illarum consiliis et monitis morem gerere, non tam ad illarum importunitatem declinandam, quam quod revera experientiae rerum magistrae esset obsecundandum.

Pulsus parvi erant et valde compressi, una cum magna virium prostratione, primis etiam diebus, quae morbo augescente languidiores fiebant, adeo ut aegrotantes veluti statuae in lectulis decumbentes jacerent, integro fere carnium et totius corporis habitu quodque admiratione dignum fuit, quotquot hujus febris violentiae succumbebant, pleni ac succulenti, veluti pingues mortis victimae libitinariis tradebantur; fortiores autem ac robus-

tiores cum feminas, tum viros adortae sunt hae febres, non ita vero seniores, nec eos, qui vitam degebant valetudinariam. Urinae vero, vel in ipso hujus febris principio, perturbatae plus minus apparebant, prout major vel minor morbi esset saevities, nec nisi in fine morbi in iis, qui evasere, ad naturalem statum redibant,

Peticulae vero utplurimum quarto die et septimo erumpebant et ii, quibus primis diebus apparuere, omnes fere sublati sunt; primum autem in collo, dorso et pectore visendas se praebebant, observatumque, neminem evasisse, nisi tandem ad extremos pedum ungues maculae illae se expandissent, in superioribus partibus paulatim evanescendo; quibus autem pectoris et dorsi fines non transilierunt peticulae, mortem obtigisse: variae autem ac diversi coloris erant, prout varii ac diversi erant aegrotantium habitus; aliae erant rubrae, aliae pallidae, aliae fusci coloris, aliae parvae, aliae latae, aliae in summo, aliae in profundo et quas nonnisi oculis transversa tuentibus liceret inspicere, quod genus peticularum fuit valde ominosum.

Faucium inflammationem comitem hae febres utplurimum sibi junxere, quae inflammatio in morbi vigore in crustam albam et ulcerosam degenerabat, quod non minus negotium medicis facessebat, quam febris ipsa; cum aegri ob id omnem cum cibum, tum medicamentum aversarentur et

multi, qui caeteroquin, pacata aliorum symptomatum tempestate, evasuri credebantur, in ipso veluti portu naufragium perpessi fuerint. Sitis porro in his febribus non adeo ingens erat, ut in aliis acutis febribus assolet, nec multae querelae exaudiebantur, sive non sitirent, sive mens obscure aegrotaret.

Quicunque ex hac febrili incursione fati ope, vel medici evasere, nulli excretioni vel per sudorem, vel per urinam vel alias vias, per quas natura crises suas moliri solet, salutem acceptam referre poterant, sed solum peticularum, suo loco et tempore apparitioni et earundem per totum corpus expansioni, lentaeque evanescentiae, salutis beneficium debebant; quin iis, quibus alvi fluxus supervenere, funestum fuit. Alvi fluxus autem anno praecipue 1693. hisce febribus peticularibus per autumnum supervenere, quo tempore dysenteriae graves hebraeos potissimum exercuerunt (*).

Satis frequens fuit in his febribus singultus, quamvis parvae febres viderentur: symptoma quidem non minus molestum, quam ferale et funestum; quotquot enim in hac febre singultuosi comperti sunt, omnes in Libitinae censum devenere. Vix obtinui, ut singultuosi cadaver dissecaretur, ac ventriculus nigris notis sparsim compunctus reper-

(*) In his egregium opii usum praedicat, quem non tam anodyna, quam diaphoretica virtute interpretatur.

tus est. Verminatio quoque multa passim exstitit et ii quibus ab initio vermes per os prodiere, omnes fere exstincti sunt.

Nonnullis suppressa est urina, vacua prorsus existente vesica, praecipue vero id observatum in iis, quibus pulsus erant parvi ac paene obliterati, ut contigit in juvene hebraeo, qui cum asphyxia ac totus gelidus vixit ad quatuor dies, nec urinae quicquam reddidit: antequam autem infelix iste obiret, quamvis toto corpore perfrigefactus (nullibi arteriis micantibus) adeo robustus erat, ut etiam ipsa die, qua e vivorum statione decessit, e lectulo surrexerit et suas vestes induerit (*).

Non pauci post exantlatum morbum veternosi fiebant ac stupidi rerumque peractarum prorsus immemores, nec nisi post multos dies sibi reddebantur; idem infortunium iis obtigit, qui in his febribus gravem surditatem perpessi fuerant."

Circa curationem monet: frequentiora in urbe, quam in proximis agris fuisse funera ac felicius plebem ruralem sine ullo utplurimum remedii genere vim morbi elusisse, sive quod in aëre salubriori degerent, sive quod medicis carerent. Ipsam autem venaesectionem adeo improspere cessisse, ut omnes aegri exhorrescerent, quoties san-

(*) Not. idem in cholerae asiaticae stadio asphyctico sive paralytico fuisse observatum: qua de re disputantem legere non pigebit experiundi arte clarum Magendie.

guinis missio per venaesectionem proponeretur. Ipsum cum parum profici observasset per alcalia, ad acida confugisse, nec improsperum successum ex illorum usu advertisse, sufflaminato aliquantisper humorum orgasmo.

Cruoris massam ad fluorem potius, quam ad concretionem pronam fuisse, toto igitur coelo diversum ab eo, qui in pleuritide et peripneumonia educi solet: nec mirum improspere cessisse venaesectionem, perstite hujusmodi humorum dispositione.

Atque haec est observationum Ramazzini de re epidemica epitome: quas his quidem verbis sui temporis medicis commendatas cupit nosque nostri quoque temporis medicis commendamus. » Ad duos fines nos militare scripsit divinus senex, unum hominis, alterum artis, nostra vero hac aetate nescio quo genio medentum primores in rebus, quae decus quidem aliquod arti, sed nullum paene aegrotantibus praesidium possint inferre, sunt occupatissimi: cum enim toti sint in minimis explorandis ac tanquam in haruspicina ad extispicia intenti, ex viscerum fibrillis naturae opera ac magisteria aliquando indeprehensibilia divinare praesumant, ad gloriam et nominis celebritatem aucupandam solum incumbunt, quasi eo res deducta foret, ut in re medica nonnisi prosectoribus exercendi ingenii et famae comparandae locus relictus fuerit."

Absit tamen quod anatomicam indaginem tan-

quam laborem improbum traducam, solum dolendum videtur, quod cum spartam hanc satis ornatam et excultam esse pateat, omnes fere qui ingenio magis praestant, in id usque ad temporis dispendium incumbant, cum ad alia magis usu futura mentem ac vires possent intendere, inter quae non postremum sane locum meretur epidemicorum affectuum historia, qua nihil in re medica forsan magis desideratur et minus excolitur."

SECULUM XVIII.

Quae exeunte seculo praecedente sociae regnare visae sunt intermittentes, febres petechiales et erysipelaceae, non desierant seculo proxime sequente, quemadmodum annales medici testantur et historia morborum uratislaviensium et observationes Fred. Hoffmanni, et Baglivii, Lancisiique Italorum de re epidemica scripta. Erysipelaceas, priores, febres petechiales Hoffmannus, intermittentes Baglivius et Lancisius potissimum scripto mandarunt.

Anno 1709. regnantem prius constitutionem erysipelaceam excepisse rheumatica fertur.

Autumnus ann. 1708. adeo mitis erat, ut producta veluti aestas non modo Romae perque omnem Italiam, sed per Brabantiam quoque et Bel-

gium videretur. Ex ea clementissimae tempestatis blanditie (sunt verba Lancisii) repente in frigidissimam hyemem incidimus, qua certe regidiorem nullam sua memoria contigisse senes nostri affirmabant. — Hinc epidemici pectoris morbi, Romae praesertim emerserunt. Principio coryzae et rheumata cum modica tussi invaserunt. — Sed frigoribus minime remittentibus, ingravescere epidemia coepit ad finem Januarii. Etenim saevire pectoris dolores, anginam, pleuritidem veramque peripneumoniam vidimus; siqui praesertim, neglecta simplici tussi, a consueta intemperantia non recessissent.

Aegrotos totius corporis lassitudo primum, tum febris cum rigore, mox vagus in pectore, infra supraque dolor, assidua tussi, et initio quidem sicca comitante, invadebat. Duros pulsus, flammeas urinas, atque interdum turbidas observabamus; nec sanguinis sputum subibat ac respirandi facultas magis intercludebatur, Tum rubere genae ac flavus toto corpore, icteritiae similis suffusus color.

In magna aegrotantium frequentia carceres aedesque s. inquisitionis nullo morbo tentatae sunt; aëre nimirum e vicinis fornacibus tepefacto, locique situ ab aquilonibus tuto.

Pauciores viris mulieres epidemicis illis inflammationibus et febribus correptae. E nobilibus etiam atque opulentis viris, qui cavere sibi a frigore po-

terant, haud sane multi morbum, aut mortem saltem subiere; quanquam plurimi et coryzam experti et rauceditatem et externum quendam pectoris dolorem, cum levibus rheumaticarum febrium accessionibus. Incautos vero et tenuiores ex plebe homines quamplurimos popularis morbus exstinxit; praesertim quos repetita aegritudinis inclementia, postquam convaluerant, rursus invasit.

Plerique aegrotationi et periculo erepti sunt aut sudore, aut narium haemorrhagia, aut alvi fluxu, aut copiosis urinis, aut simul omnibus his evacuationibus opitulantibus, comitante utplurimum sputo concocto. Saepe etiam sine sputi coctione pectoris dolores febresque pellebantur.

Dissectis autem cadaveribus praecordia rubentia usque ad diaphragma et nigricantia sanguine coacto inque magnis cordis vasis polyposo inspecta sunt; unde nullus dubitandi locus reliquus fuit, quin aegri perimerentur ex fluidis ad pulmones potissimum stagnantibus."

Non ita diu post, anno nimirum 1711—1713, iterum erysipelaceae redierunt: variolae, morbilli, scarlatina cumque hisce febris miliaris, dysenterica, petechialis, quodque notandum, anno 1713. a Binningero descripta est epidemia miliaris et nomine febris miliaris petechialis dicta, in qua symptomata febris miliaris cum symptomatibus febris sive typhi petechialis conjuncta animadversa sunt: in qua igitur duo elementa haec coiverant,

ita ut initio epidemiae febris petechialis, deinceps febris miliaris morbus esset similior eaque propter nonnullis forma hybrida vocata sit (HAESER II. pag. 271 (*).

Dominantibus febribus petechialibus typhosis ab a. 1717. magis usque percrebruerunt iis adfines intermittentes et febres miliares et dysenteriae, ex quibus multi periere, non tam morbi, quam medici culpa. Nam, ut refert horum temporum testis: » qui sine medico decubuerunt, evaserunt melius servato regimine, quam qui sine regimine auxilio incongruo medici adepti fuerunt. Atque idem alibi: crederes ergo, qui medicis utebantur promotis, regulis artis accommodata methodo meliora fata habuisse, sed taedet dicere, quod nec minus. Quippe praecox adstringentium et opiatorum numerus aeque hic et alibi rem melius cessuram perdidit, ut dubitem, an verius dicatur, funerum copiam morbo regnanti adscribendam esse, an potius incongruis medendi artificiis."

(*) FRANC. SEITZ in docta monographia de morbo miliari rerum testimoniis ostendit, initio cum petechiis conjuncta fuisse miliaria, postmodum vero ab illis sejuncta, cum adolescerent magis magisque propria beneque circumscripta forma prodiisse: lege evolutionis morborum alibi passim notata. Id eapropter monendum est, quoniam auctorum petechiae, peticulae, purpura ad utrumque exanthematis genus pariter adtinent, nunc petechiis, nunc miliaribus propinquiores. Caeterum morbi phases, hoc maxime auctore, discere quicunque cupiat, poterit.

Illud autem circa epidemias dysenteriae, quae ab anno 1697. usque ad annum 1727. regnarunt, animadvertendum, quod in aliis petechiae, in aliis miliaria adparuerunt, cum anxietate in praecordiis et tensione in dorso, ex quibus efficitur cognatio quaedam inter typhum petechialem, febrem miliarem et dysenteriam, hoc quoque epidemiarum cyclo notanda, quod ex elemento typhoso cum elemento rheumatico conjuncto, forsitan repeti posset. Nec tamen negligenda intermittentium cum hisce et erysipelaceis adfinitas, quam sequentes anni denuo indicarunt. In epidemicis horum temporum morbis cerni evolutionem novi elementi, scilicet febris miliaris, ex genere erysipelaceo et typhoso prodeuntis, Haeseri conjectura est: quo auctore febris miliaris initio typhoso elemento, deinceps rheumatico adfinior et dicta est et habita. Exinde epidemiae miliares multum increverunt per Galliam, Germaniam, Russiam (*); dum in Anglia una cum morbis erysipelatosis regnabant intermittentes et dysenteriae, ex quorum connubio morborum natura erysipelacea constitutionis epidemicae in Europa hac, de qua agimus, aetate manifestari observarunt, qui de nosologia historica scripserunt, auctores.

(*) Notetis quaeso, rem animadvertente Francisco Seitz, miliarium esse hoc praesertim, sese cum aliis quamplurimis morbis exanthematicis, contagiosis, miasmaticis, febrilibus copulandi.

Cum vero per omne seculum decimum octavum pestis inguinaria longe lateque in Europa dominabatur, principio hujus seculi Germaniam, sequentibus proxime annis Galliam adflixit. Anni 1720 et 1722. peste massiliensi famosi.

Anno 1736. Neomagum dysenteria adflixit, circa quam medicus patrius Degnerus monuit, omni illo tempore, quo dysenteria grassabatur, omnes alios morbos, excepta diarrhoea et uno vel altero varioloso, fere plane cessasse paucissimosque se novisse, qui alio, quam hoc ipso morbo contagioso lecto affixi decubuerunt: quod phaenomenon cum et alii in peste observarint, illorum sententiae accedere sese, qui statuunt, alios morbos tempore luis grassantis larvam mali epidemici saepius induere, seu in eam abire. Et hanc sibi rationem videri, cur in quibusdam dysenteria aegrotantibus se species febris tertianae manifestarit, dum aegroti tertio quoque die gravius laborarunt. Huic vero observationi altera subjungenda est ejusdem auctoris, purpuram rubram in fine morbi non raro conspici, rarius vero aphthas accedere, alios pustulis rubris in cute variegatos adparuisse, quae in suppurationem abibant. Atque ex ultima hacce observatione, tum etiam ex morbis secundariis, leucophlegmasia, pedum oedemate, nec non varioloso uno et altero intercurrente naturam morbi erysipelatosam effici, crediderunt.

Postea ab anno 1737—1743. typhus petechialis

potissimum epidemicus factus est in Europa, praesertim germanica et septentrionali, tam inter cives, quam inter milites, qui maxime funestus et perniciosus factus est, cum medici galli castrenses et venaesectionibus et evacuantibus morbum istum pestilentialem aggrederentur.

Longe alia fuit magisque docta ars medici nobilis Angli ejusdemque castrensis, Jo. PRINGLE, qui ab anno 1742—1743, quae viderat inter milites Brittannos, morborum genera libro vere classico descripsit, quo inprimis processuum miasmaticorum historiam mirifice illustravit. Intermittentes, dysenteriae, typhus, inflammationes rheumaticae ab ipso magna arte adumbratae et magno pariter curatae sunt consilio.

In castris mense Julio plerumque ordiebantur febres remittentes et intermittentes, quae mense Augusto typum intermittentem vulgo servabant, decrescebant mense Octobri, desinebant mense Novembri, incidente frigore: etiam alvi profluvia dysenterica cum hisce crebra observabantur. Talis conditio erat ann. 1742 et 1746. in Belgio: Ann. 1743. in Germania major phlogosis: pleuritis, peripneumonia, bronchitis et rheumata etiam intermittentibus et dysenteriis sese adjunxerunt. Ibi mense Augusto febris remittens biliosa exoriebatur, mense Octobri in nosocomio febris putrida petechialis, hyeme vero ingruente febris remittens, quae prius, denuo revertebatur.

Ann. 1744. vernali tempore morbi pulmonum inflammatorii, versus solstitium aestivum contra remittentes febres, mense Augusto dysenteriae notabantur: remittentes iterum mense Septembri obveniebant.

Ann. 1745. morbi vernales et intermittentes inflammatoriae, mense Augusto in locis depressis dysenteriae remittentes et intermittentes febres contingebant.

Ann. 1746. in Anglia morbi inflammatorii pectoris, tempore verno, autumno dysenteriae et intermittentes observatae sunt.

Ann. 1747. morbi vernales in Belgio inflammatorii, m. Augusto dysenteria nata est: m. Octobri increscebant febres remittentes, quae ocyus et atrocius in Zelandia visae quarumque anno 1748. crebrae recidivae, verno tempore: aestate et autumno rursus febres remittentes tuncque ardentium specie prodibant; quae tempestate frigidiori a medio m. Septembri in intermittentes commutatae sunt.

Itaque, observante Pringlio, principatum tenuere intermittentes, quandoque in remittentes, subcontinuas, ardentes abeuntes, aut dysenteriis stipatae, intercurrentibus inflammationibus rheumaticis, sive sub constitutione rheumatica militarent intermittentes, sive sub constitutione intermittentium epidemicarum intercurrerent rheumata, sive militum Brittannorum corpora in rheumatis-

mum proclivia vim perniciosam locorum depressorum, palustrium experirentur.

In observationibus Huxhamianis pariter classicis; nam tunc temporis Brittannia medicis eximiis vereque hippocraticis abundabat, plura cernuntur elementa morbosa conjuncta: scorbuticum, rheumaticum, nervosum. Inclaruit praesertim Huxhami nomen febris nervosae lentae descriptione, quae typhi forma ad nostram propius accedit: est saltem typhus gastricus mucosus, quem tamen et febri miliari ab altera parte adfinem habuit Haeser. Verum hac laude nequaquam continetur Huxhamiani nominis celebritas, qui et inflammationum et febrium cognitionem scientiamque epidemicam pluribus partibus auxit, erysipelacearum historiam magnopere illustravit et therapeuticen cum diligenter excoluit, tum multum emendavit. Quae cum ita sint, observationes illas epidemicas hisce quoque nostris temporibus potissimum nosologiae historicae cultoribus de meliori nota cupio commendatissimas.

Interim denovo pestis cum in Europa orienti finitima et austriaco regno, tum in Italia saeviit atque denovo opus fuit medicis fortissimis, salutis publicae civium propugnatoribus, qui contra ignavos, imbelles, praepotentium, aut vulgi auram captantes artifices mali naturam contagiosam defendere ausi sunt; etsi et illi, ut solet, probro, dedecore, ignominia affecti ab aequalibus, posteri-

16

tatis demum judicio justis meritisque laudibus condecorati sint.

EPIDEMIAE AB ANN. 1750. USQUE AD SECULUM PROXIMUM.

Toto hoc tempore morbi gastrici, biliosi, mucosi, verminosi crebro ab auctoribus medicis memorati. Initium faciunt intermittentes, quae, quam arcto vinculo cum morbis typhosis cohaererent, testantur pharyngotyphus, pneumotyphus, typhus petechialis, earum comites, haeque ipsae symptomatibus bene multis, febribus typhosis similibus. Intermittentes sequuntur febres mucosae, illis cognatae et cognatae quoque febribus rheumaticis ab erudit. Sarcone Neapoli visae, ex quibus prodiit typhus: eandemque constitutionem rheumatico-catarrhalem in Gallia regnantem videt Lepecq de la Cloture, quae pariter in typhosam abiit, intercurrentibus erysipelaceis. Dominavit tandem epidemia dysenterica, sive dysenteria typhosa, quam cum alii, tum Zimmermannus in Helvetia agnovit, cum ostenderet eius cum febre putrida, i. e. cum febre typhosa nexum.

In ultima hujus epochae tempora cadunt Stollii de morbis epidemicis observationes, quibus emendata est et amplificata plurimum rei epidemicae

scientia. Is tres statuit febres cardinales: inflammatoriam, biliosam, pituitosam, quibus etiam quartum addidit genus intermittentium, quod in ver atque autumnum incidit, sive inflammatoriae, sive biliosae naturae magis particeps: subinde etiam pituitosae.

In prima constitutione Stollii febris biliosae et gastricae indolis regnum occupavit caeterisque omnibus morbis jura dedit; quem morbum stationarium, si simplex purusque occurreret, per emeto-catharsin aggressus est, si complicatio fieret cum phlogosi, quod sub hyemali aut vernali constitutione factum est, varia methodo pugnavit, sive emesi, sive sanguinis missione, ita ut modo emeticum venaesectioni, modo haec illi praemitteretur, pro ratione praevalentis vitii. Quae triennium regnarat biliosa constitutio, ann. 1778. in regni societatem adscivit phlogosin, ann. 1780. imperio abdicavit. Hyeme phlogoses pectoris complicatae. Veris initio morbi plures pituitosi, peripneumoniae nothae, catarrhi. Autumnali tempore dysenteriae, rheumata. Haec anno 1778. Januario mense ann. 1779. tempestate gelida sicca phlogoses pectoris et rheumata, dysenteriae rheumatico-phlogisticae. Aestatis initio erysipelata phlegmonodea. Julio m. dysenteriae inflammatoriae plerumque et bilioso-inflammatoriae, quae postea autumni tempore inflammatoriae et subinflammatoriae factae sunt: cumque autumni initia temperiem

aemularentur vernalem, morbi quoque vernales fuerunt. Constitutio fuit magis inflammatoria, quam aestate praegressa aliisque tribus autumnis proxime elapsis. Exordium anni 1780. frigidum siccum: omnes morbi habuere quid pleuritici. In plerisque morbis magna ubique intolerantia remediorum vel levissime stimulantium. Morbilli inflammatorii: etiam chronicis malis phlogisticum vitium se junxit. Verno tempore inflammationes thoracis. Morbi aestivi fere omnes rheumatico-inflammatorii cum aliquo vitio bilioso. Varia morbi sedes. Plerumque tamen pectus occupabat, ut pleuroperipneumoniam rheumatico-inflammatoriam referret, aut febrem catarrhalem subinflammatoriam. Quibusdam altius ad intestina descendit, ubi aut colici dolores, aut dysenteriae, aut diarrhoeae leviter torminosae visae sunt. Autumno phlogosis major indies, dysenteriae inflammatoriae: febres intermittentes, subinde inflammationibus thoracis junctae: febres continuae, aut remittentes, etsi ad speciem non raro saburrales, aut putridae, re ipsa tamen inflammatoriae, imo quartanae subinde cum diathesi inflammatoria. Ultimis anni temporibus inflammationes diuturniores. Peripneumoniae nothae. Intermittentes, phlogosi expertes, cortice indigebant: hoc tempore omnes febres pituitosae magis.

Ann. 1781. post hyemis frigora moderata, inter feminas febres pituitosae, inter vetulas peripneu-

moniae nothae. Plures nervorum morbi, quam hac tempestate invadere solent; convalescentiae tardae, pedum oedemata post leves morbos, maxime post rheumata. Quae autumno regnaverat, febris annua pituitosa, per totam hyemem protensa, ver attigit primum. Haec deinceps, aestate et autumno sequente, in putridam mutata: postea, anno 1782. febris verna depuratoria inflammatorio-gastrica, tum hepatica facta est, ut nunquam tot visae sint tam chronicae, quam acutae hepatis aegritudines.

Ab hoc inde tempore febrium catarrhalium et febrium nervosarum in annalibus medicorum percrebuit nomen, potissimum, ex quo Brownii placita magis accepta et a medicis practicis probata fuere, sive dominante constitutione asthenica, nervosa, ut multis visum est, sive mutata de morbis theoria. Interim typhus abdominalis magis magisque invalescere coepit, evanescente ex Europa peste inguinaria ac decrescente, quae hanc secuta est, febre sive typhó petechiali: dum nostra aetas vidit non tantum renascentes lateque patentes intermittentes epidemicas, sed epidemiarum miasmaticarum principem: *choleram asiaticam*, pandemiae mundanae contagiosae sub persona, per omnem orbem cultiorem saevientem.

CONSECTARIA.

I. Pandemiarum inter se connubia, aliis temporibus alia, adfinitates occultas denotant, diligentius explorandas.

II. Inprimis pestis et intermittentium magna est adfinitas, intercedente typho.

III. Quae prius vulgaris erat in Europa dyscrasia scorbutica, nunc in dyscrasiam scrofulosam mutata videtur, per eam forsitan, ex quâ genus humanum aegrotat, cachexiam syphiliticam.

DE HISTORIA MORBORUM.

PARS TERTIA.

Post traditam in parte prima historiam pandemiarum universalem atque adumbratam in parte altera harum pandemiarum compositionem et complicationem multifariam, in hac tertia operis parte breviter enarrare lubet historiam reï epidemicae particularem in praecipuis Europae partibus, de quibus testimonia historica prostant et quidem de Italia, Gallia, Anglia, Belgio, Germania, quae tamquam geographiae medicae deinceps exarandae initia prima: in quibus explanandis ita versabimur, ut primo per singula secula rem traducamus, deinde omnem harum regionum historiam uno sub conspectu ponamus: quo facto, quae in illis regionibus evenerunt rerum epidemicarum mutationes, cognosci facilius poterunt.

DE MORBIS ITALIAE EPIDEMICIS, SECULO DECIMO SEXTO.

Initio seculi decimi sexti regnantem descripsere medici Itali typhum petechialem, quem tamen nondum a peste inguinaria discernere potuerunt, quemque alii antiphlogistica, alii cardiaca methodo curare conabantur, Fracastorio medicinam laudante hippocraticam. Etiam ann. 1528. typho petechiali fuit famosus. Australis erat anni constitutio. Inceperunt tertianae duplices. Successit febris petechialis, quae cessavit flante borea. Primis duobus mensibus fuit cum febre continua, maxima capitis gravitate, sputo sanguinis et moriebantur infra tres dies. In caeteris mensibus, adveniente vere, fuit etiam cum febre continua, apostematibus et pustulis et in quinque dies homines moriebantur. In fine autem sexti mensis pestis remissa est, quia multi correpti a bubonibus aliisque tumoribus in fine febris evadebant: quae transitum in pestem inguinariam manifestabant. Similiter anno 1535. grassatus est typhus petechialis et pneumotyphus, cui pariter successit pestis inguinaria. Haec pestis iterum per Italiam saeviit ab a. 1575. et post decennium epidemica maxime fuit febris petechialis atque anno 1591. florentina epidemia memoratur, in qua sub specie tertianae duplicis spuriae prodibat ista febris.

DE MORBIS GALLIAE EPIDEMICIS.

Typhus petechialis in Gallia regnare coepit circa ann. 1546, sub nomine *trousse galant.* Anno 1557. mentio fit epidemiae petechialis in urbe Galliae Poitiers aliisque Galliae meridionalis civitatibus. Praeiverant erysipelaceae: variolae, morbilli, necdum fracta morbi potestate m. Septembri cum frigore subitaneo exorta est influenza. Anno autem 1564. maxime per Galliam saeviit pestis inguinaria. Anno 1568. Lutetiae Parisiorum typhus petechialis plurimum grassatus est. Ab anno 1570. ibidem erysipelaceae et intermittentes regnasse feruntur, sub constitutione catarrhali-rheumatica. Declinante hoc seculo febris petechialis memoratur cum symptomatibus dysentericis.

DE MORBIS ANGLIAE EPIDEMICIS.

Ex hisce princeps fuit hoc seculo ephemera brittannica, sive sudor anglicus. Post seculum medium Londini grassantem memorant annales medici pestem. Anno 1577. mentio fit febris carcerariae oxfordiensis: ultimoque decennio in Anglia saeviit pestis: typhus petechialis non commemoratur.

DE MORBIS BELGII EPIDEMICIS.

Postquam, referente FORESTO, primum ephemera brittannica a. 1528. deinde 1553. febres pestilentes malignae verminosae, anginosae, syncopales in Belgio regnaverant, ann. 1557. pestis inguinaria inter delphenses exorta est, ac deinde inter harlemenses, intercurrentibus febribus petechialibus, sequentibus variolis mali moris. Etiam Leidae postea saeviit inque Brabantiam sive Belgium meridionale traducta est.

Interim longe lateque populabatur scorbutus ipsaque dyscrasia scorbutica omnibus ferme morbis suberat. Exinde typhi petechialis atrocitas et petechiarum in febribus frequentia intelligitur: neque deërant exempla adfinitatis febrium pestilentium et febrium miasmaticarum intermittentium. Illae in epidemia lovaniensi ad harum typum et periodum adpropinquabant.

Anno 1590. inter nostrates quoque epidemica fuit influenza, quae in Germania et Gallia passim plurimos occupabat et afflatu quodam ad nos devenit, quamvis post m. Julium minus grassaretur.

Ann. 1590. (ita, quem hoc loco sequar, rem refert PETR. FORESTUS) circa 20. d. m. Julii et totum

Julium m. Delphis publice ac catervatim grassabantur catarrhi, subito dilabentes, una cum febre admodum contagiosa, in fauces, guttur et pulmonem irruente, cum vocis raucedine et tussi valida: ita ut integrae familiae subito eo malo corriperentur, licet hic morbus minus periculosus foret: cum plurimi facile evaderent, sanguine quidem statim detracto et medicamento leniente hausto. Interea non deërant, qui ex tali catarrho in omnes ex aequo furente in peripneumoniam inciderent. — Erant alii multi, qui gravem pleuritidem incurrebant. Caeterum becchicis, gummosis, oleosis atque oleosis pariter pectoris inunctionibus infiniti convaluerunt. Tandem sub finem hujus seculi denuo pestis symptomata Lugd. Batav. animadversa sunt, quae tunc temporis Europam adflixit.

DE MORBIS GERMANIAE EPIDEMICIS.

Grassata est pestis inguinaria per omnem Germaniam, ineunte seculo decimo sexto. Deinde seculo fere medio simul pestis et typhus petechialis in Germania observati feruntur atque iteratis vicibus redierunt. Cadit in haec tempora febris hungarica, popularis, quam, ut vidimus, ad typhum petechialem referunt. In Austria simul cum hac populatae sunt febres dysentericae, gangraenosae.

Ab ann. 1575. memorantur graves pestis inguinariae maximeque lethales epidemiae, per omnem Europam, Italiam et Austriam potissimum populares. Anno 1585. mentio fit epidemiae pneumotyphi ingolstadtiensis alibique dominantis pestis et ignis sancti Antonii, sive raphaniae: atque decennio post, hujus et pestis et dysenteriae, quae cuncta testantur, per Germaniam similiter ac per reliquam Europam dominasse constitutionem pestilentem, alternantibus peste inguinaria et febre petechiali huicque adfinibus morbis typhosis, quibus communis ea aetate suberat dyscrasia scorbutica. In principio hujus seculi occurrere syphilidem, scorbutum et sudorem anglicum, quae tria morbi genera arcto vinculo cognationis cum typho petechiali cohaerere, Haeseri observatio est.

SECULUM DECIMUM SEPTIMUM.

MORBI ITALIAE EPIDEMICI.

Pleuritides et peripneumoniae erysipelaceae typhosae, sive febres pleuriticae mali moris hujus seculi initio Italiam peragrarunt, quibus medebantur frigida glaciata et alvus critica. Anno 1604. extrema aestate et principio autumni grassatae sunt dysenteriae epidemicae. Annus autem 1613. famosus erat angina ulcerosa maligna in

Hispania saeviente atque exinde in civitatem neapolitanam et Maltam insulam traducta, quae sub finem hujus seculi vixdum desierat.

Anno 1630. atrocissima pestis Italiam infestavit eamque secuta est pneumoniae nothae epidemia, quam saepe comitabantur bubones, carbunculi, petechiae, regnantibus inter pueros variolis, morbillis atque adfectibus verminosis: qui morbi omnes hujus temporis, teste Baronio, unius morbosae constitutionis formam effecerunt: ipsas autem peripneumonias vesicantia, expectorantia, sudorifera emendabant.

Iterum pestis in Italia ann. 1656. magnam hominum stragem edidit eamque secuta est ann. 1661. febrium intermittentium perniciosarum epidemia, quae, quamvis primo septenario typum tertianarium servarent, postmodum in typum continuum transierunt atque a die duodecimo signa malignitatis monstrabant.

Potissimum vero ab anno 1690. febrium intermittentium epidemicarum meminerunt Italiae medici, epidemicis simul erysipelaceis: peripneumoniis, anginis, erysipelate, variolis, quas ab anno inde 1692. secuta est febris petechialis, quamquam non siluerunt intermittentes, sed dominare perrexerunt usque in seculum decimum octavum.

MORBI GALLIAE EPIDEMICI.

Primi morbi epidemici, quorum hoc seculo meminerunt Galliae medici, fuerunt pestis et dysenteria eaque ulcerosa, cum complicatione verminosa.

Anno 1623. memoratur epidemia petechialis maligna et febris dysenterica, quae ann. 1625. Lugduni, sub typo tertianario duplici, cum faucium titillatione et asperitate papulisque in quibusdam erumpentibus prodibat: suppresso autem fluxu dysenterico, in aliis angina, in aliis tertiana erumpebat.

Anno 1628—1630. grassata est pestis per Galliam. Hoc seculo declinante dominarunt febres petechiales, typhosae, inter Lugdunenses, quarum symptomata praecipua erant: sopor, convulsiones, petechiae.

MORBI ANGLIAE EPIDEMICI.

Quae in reliqua Europa initio seculi decimi septimi, eadem in Anglia et quidem Londini pestis epidemica fuisse fertur. Anno 1643. epidemicus fuit typhus bellicus, Willisio auctore, in quo et bubones et petechiae animadversae.

Iterum Londini grassata est pestis seculo hocce medio. Inde plurimum vulgares fuerunt intermit-

tentes, ab ann. 1657—1675, testibus WILLISIO, SYDENHAMO, MORTONO. Has denuo excepit saevissima pestis ann. 1665 et 1666, quae primum Londini plurima hominum millia prostravit, postea in alias etiam Angliae civitates migravit. Pestem secuta est febris variolosa ann. 1667, hanc febris dysenterica 1669, ipsam vero febris continua typhosa: quo omni tempore unica febris continua ex intermittentium genere epidemica princeps ac primaria fuisse dicitur MORTONO, cortice peruviano oppugnanda: dum WILLISIUS et dysenteriae meminit epidemicae et epidemicarum pariter intermittentium.

MORBI BELGII EPIDEMICI.

Anno 1629. Leodii epidemia typhi petechialis grassata est, ex qua plures 7, 9, aut 20 die, sub convulsionibus perierunt, quaeque inter plebejos, morbum jugi potu aquae aut lactis sero curantes, longe minus lethifera, quam inter patricios et praepotentes fuisse, perhibetur.

Anno 1624 ab HERMANO v. D. HEYDE epidemia dysenteriae gandavensis perscripta est, quam pari simplici methodo: enematibus videlicet ex sero lactis, subinde ex aceto feliciter curasse refert.

In civitate bredana, obsidione vexata, anno 1625. pestis et scorbutus duas tertias partes inco-

larum interfecerunt. Intercurrebant intermittentes tertianae et quartanae, quarum hae in pestem transiisse facile dicuntur; neque deërant symptomata dysenterica.

Decennio post pestis neomagensis incidit, postquam praecesserant febres malignae, pestilentes, formam intermittentium, naturam typhi habentes; eodemque anno Leidam pestis invasit. Ver anni 1635. (sic tradidit hujus pestis historiam Isbr. de Diemerbroeck) tepidum et modice humidum fuit: post hoc secuta est aestas vehementer calida et sicca: qua tempestate maximae putredines multique graves morbi epidemii plurimis in locis excitati fuerunt. Inprimis autem gravissima pestis Lugduno Batavorum uno anno ultra viginti millia funerum extorsit. In nos autem et totam Geldriam aliasque plures regiones febris quaedam epidemia diris furiis debacchata fuit magnamque hominum stragem edidit. Circa autumnum, adhuc permanente, imo magis adaucto aëris fervore, summis siccitatibus conjuncto undique adhuc majora putridinis indicia et undique plures maligni morbi adparuerunt; variolae, morbilli, diarrhoeae et dysenteriae pessimi moris passim grassabantur, sed omnium maxime praedicta febris pestilens, quae indies majora incrementa sumens magis magisque in pejus mutabatur et purpurata (quam petechialem vocant Itali) evadebat, donec tandem in apertissimam pestem transiret. Quae Noviomagi m.

Novembri anno dicto initium sumens paulatim ista hyeme spargebatur. Hyems autem nullo magno frigore excellebat, in siccitate et humiditate mediocris erat. M. Januario sequentis anni 1636. omnia pejora reddi coeperunt: at circa Martium pestis longe majora incrementa sumsit: summo autem acumine exarsit circa finem m. Aprilis atque in isto furore usque ad finem m. Octobris continuavit, quo temporis intervallo tam crudeliter grassatus fuit morbus, ut in tota urbe nulla fere, quod scio, domus a peste immunis fuerit. Innumeri undique conspiciebantur aegri, inter quos mors sceptra tenebat; plures enim moriebantur, quam evadebant et inexplicabilis morbi malignitas omnium fere remediorum efficaciam illudere ac superare videbatur. Quibus mensibus morbum in vigore, seu statu fuisse, certum est. Postea lues haec paulatim coepit declinare, ita ut tandem m. Decembri multo pauciores aegri et rariores mortes viderentur. Hyems illa praeter consuetudinem valde tepida fuit hincque pestis diutius perduravit. Anno sequenti 1637. circa medium Februarii, magno frigore praeter exspectationem repente oborto, per sex septemve dies fortiter gelavit; quod acerrimum licet breve frigus horrendae hujus luis vires adeo infregit, ut in principio m. Martii ejus reliquiae apud noviomagenses penitus eradicatae fuerint, quo tempore ultimos hoc contagio infestos invisimus. Dico apud *noviomagenses*, nam multis aliis locis

etiam toto illo anno 1637. maximam tyrannidem exercuit et praeter alia loca, in diocesi ultrajectensi, charam mihi patriam Montfurtum oppidum totumque territorium montfurtense adeo misere afflixit, ut vix dimidia incolarum pars superstes remanserit.

Quemadmodum annus 1635. aestate et autumno maximis aëris fervoribus excellebat, ita sequens annus 1636. non minori fervoris vehementia a vere usque ad hyemem perdurante, antecedentem annum excepit. Venti a vere usque ad hyemem fere semper meridionales, vel zephyri erant, cum magnis aëris squalloribus. Ad haec a m. Martio usque ad finem Augusti continuae erant siccitates, quales vix umquam antea tam diuturnae visae fuerant: quae omnia anni praecedentis mala plurimum adauxerunt." Hactenus DIEMERBROECK, qui eo quoque nomine laudandus est, quod diligenter distinxerit inter febrem et pestem, usum purgantium damnaverit veramque pestis curandae methodum ab ipsa morbi natura repetendam esse docuerit indicationumque doctrinam instruxerit.

Anno 1667 et 1669. Lugd. Batav. regnantes maxime febres intermittentes ejusdemque generis subcontinuas scripto consignavit SYLVIUS DE LE BOE, post aestates fervidas siccas, quamplurimis perniciosas, mucosarum erysipelate aphthoso, dysenterico cerebrique aegrotantis symptomatibus insignes acidisque vegetabilibus lenioribus ab ipso curatas.

Istae autem intermittentes perniciosae non tantum Lugd. Bat. verumetiam per omnem Hollandiam, inprimis Harlemi grassabantur, partim erysipelatosae, partim scorbuticae dyscrasiae participes: gastricae morbi naturae emetica, scorbuticae acida respondisse videntur, a medicis eo tempore laudata; minus probandae venaesectiones et sudorifera, quibusdam, non tamen SYLVIO, usurpari solita.

MORBI GERMANIAE EPIDEMICI.

Quae primis annis hujus seculi reliquam peragravit Europam, pestis etiam Germaniam, Helvetiam, Russiam infestavit a. 1605, 1607, 1609—1611. Aestate fervida a. 1609, quae hyemem gelidam excepit, per Germaniam propagata est dysenteria epidemica, quae prius in Italia et Gallia visa est ann. 1604 et 1608.

Exinde ann. 1621. in Germania typhus petechialis exortus est, sanguinis profluviis vermibusque et efflorescentiis notabilis. Male cedebant evacuantia, tum venaesectiones, tum cathartica a medicis chirurgis, more seculi, adhibita; proderant contra sudores. Rediit hic morbus bellicus ann. 1632, comitatus scorbuto, quibus plura interiere hominum millia: neque minori numero interfecerunt anti-

monialia et mercurialia, perperam data. Hosce autem denuo excepit pestis, Germaniae pariter et Helvetiae incolis funesta: nec paucos perdidit medicina alexipharmaca medicastrorum.

Anno 1654. saeviit pestis Hafniae, quam comitabatur typhus bellicus, sequebatur epidemia variolosa, perquam maligna. In Helvetia ann. 1668. epidemia pestis memoratur.

Ann. 1671 et 1672. in provinciis rhenanis febres petechiales notatae sunt. Ab anno 1677. orsa est epidemia pestis, quae biennio post Viennam Austriae populata est. Ann. 1580 Lipsiam vexavit, sequentibus annis 1681—1684. complures alias Germaniae civitates. Post pestem regnarunt intermittentes epidemicae, typhus petechialis, cum exanthemate miliari et dysenteria maligna.

Ann. 1691. per omnem Germaniam epidemicae dominarunt intermittentes, deinceps charactere typhoso notabiles. Symptomatibus stipabantur cholericis, dysentericis, pleuriticis, spasticis, cum delirio inque senioribus exanthemate pustuloso.

In epidemia Jenensi, ann. 1693. et sequenti, primum morbilli, tum peripneumoniae, tandem febres typhosae observatae sunt. Ann. 1694 et 1695. memoratur typhus bellicus, cum comate, petechiis, parotidibus, bubonibus: cui medebantur emetica et chinae extractum.

Hyeme denique ann. 1699—1700. sub constitutione catarrhali-rheumatica animadversi sunt inter

infantes morbilli, inter adultos febres rheumaticae, typhus rheumaticus. Morbillos exceperunt variolae, primum mitiores, dein confluentes, intercurrentibus intermittentibus. Proderant vesicatoria, diaphoretica, aromatica. Sub serenissima ac fertilissima tempestate aestiva febres perniciosae pestilentes perrexerunt. Adpropinquante hyeme desierunt, incidente epidemia tussis quintae, etiam inter adultos, plurimumque saevientibus variolis.

SECULUM DECIMUM OCTAVUM.
DE MORBIS ITALIAE EPIDEMICIS.

Ad primos hujus seculi annos adtinent epidemiae intermittentium a Lancisio traditae. A. 1709. hyemem rigidam secuta est constitutio rheumatica, sub qua febris rheumatica epidemica nata est, quae in febrim pneumonicam typhosam abiit, a qua neque aberant petechiae.

Ann. 1717. Sardiniam infestarunt febres perniciosae intermittentes dysentericae, quae praecipue inter milites grassabantur. In annum 1723. cadit epidemia intermittentium ferrariensis (teste Lanzonio) charactere bilioso, erysipelaceo: et in annum 1735. epidemia typhi cremonensis. Anno 1743. pestis grassata est Messinae inque aliis Siciliae ci-

vitatibus. Annis 1763 et 1764. Neapoli primo rheumaticae febres regnarunt, deinde mucosae, teste Sarcone, quas typhoideas ex genere typhi abdominalis fuisse, cum Haesero existimamus. Epidemiam istam exceperunt intermittentes tertianae, quartatanae, hydropes, phthises. Iisdem annis in Hispania et Lusitania grassatae esse febres dysentericae, putridae, typhosae feruntur. Anno 1766. et sequenti memorantur febres petechiales sienenses, sub nomine febris biliosae putridae, in quibus die 7°. prodibant petechiae, miliaria, aliave exanthemata, sub delirio, tendinum subsultu: in aliis alvi fluxus, vermium ejectio alvique tarditas, in aliis spasticae in hepatis regione stricturae; in aliis gangraena, parotides; in aliis tympanitis, ischuria obveniebant; juvabant initio eccoprotica, refrigerantia, lotiones calidae ex aceto, deinceps aromatica, vinum.

DE MORBIS GALLIAE EPIDEMICIS.

Anni hujus seculi vigesimus et vigesimus secundus peste atrocissima notabiles Massiliensi aliarumque Galliae urbium vicinarum, quacum regnarunt simul variolae. Hâc peste quaestionem de contagione in magnum salutis publicae ac politeiae medicae emolumentum tristis solvit experientia. The-

rapeia theriaca, diascordio, alixipharmacis continebatur, nec quidquam proficiebat.

Normandiae morbos ann. 1763—1777. descripsit Lepecq de la Cloture. Accidebant febres rheumaticae, catarrhales primo, tum gastricae, tandem putridae verminosae, miliares, intervenientibus variolis, morbillis, rubeola, dysenteria. Febris miliaris saepius ex tertiana provenit, cum symptomatibus gastricis, verminosis, gangraenosis, interdum bubonibus. Notanda quoque febris miliaris anginosa ann. 1770. Prius cum febre scarlatinosa occurrebat, seculo scilicet decimo octavo medio, quo tempore etiam Lutetiae Parisiorum animadversa est: postquam compluribus Galliae locis adparuerat angina ulcerosa maligna, quae sensim in anginam polyposam transiisse videtur. Anno 1770. Parisiis grassatae sunt variolae gangraenosae, simul cum febre scarlatinosa et miliari, non raro in eodem corpore contubernalibus. Ab ann. 1770—1772. in Gallia epidemica fuit gangraena secalina, quam eandem esse atque ignem sancti Antonii aevo medio arbitrantur, qui de nosologia historica nuper exposuerunt, auctores medici.

DE MORBIS ANGLIAE EPIDEMICIS.

De epidemiis Angliae hoc seculo plura prostant scripta: primum medici yorcensis Wintringham. Hyeme a. 1715. pectoris phlogoses, aestate febres nervosae praecipuas partes egisse feruntur. Ab ann. 1717. secutae sunt intermittentes, hasce vero putridae, symptomatibus gastricis, saepe criticis. Ann. 1720. intermittentes et nervosae lentae memorantur, quas ann. 1721 comitabantur morbilli maligni. Ann. 1722. cum intermittentibus tertianis, quartanis, pleuritides, hydropes, icteri, phthises. Ann. 1723. variolae, pleuritides spuriae, anginae, rheumata; autumno dysenteriae. Ann. 1724. perrexerunt morbi gastrici, biliosi, erysipelacei; ann. 1727. in putridos abierunt. Inde febres putridae, miliares, petechiales, intercurrentibus semper febribus intermittentibus. Alterum Pringlii medici castrensis, ann. 1746. circa morbos Scotiae, memoriam recolentis febris remittentis indeque exortae febris nosocomialis. Tertium Huxhami, circa morbos Plymuthi epidemicos ab ann. 1727—1748, tradentis historiam nervosae lentae cum phlegmasiis, erysipelaceis, intermittentibus, febribus putridis alternantis, nec non cum typho anginoso, sive angina ulcerosa. Quartum Monroi medici castrensis ad

morbos militum anglorum in Germania referendum.

Influenzam ann. 1762. insecuta est dysenteria Londini, quam secutae esse traduntur febres putridae, inque Anglia potissimum febres nervosae, typhosae hisque cognata angina gangraenosa.

DE MORBIS BELGII EPIDEMICIS.

Uti in Italia, ita in Belgio, initio hujus seculi, constitutionem rheumaticam fuisse epidemicam, Lancisius auctor est. Ann. 1717 et 1720. in Zeelandia grassatae sunt intermittentes gastricae, quibus medebantur evacuantia. Anno 1727. regnarunt in Belgio septentrionali febres intermittentes, subcontinuae, malignae, exanthematicae, una cum dysenteriis; hae anno 1735. Neomagi, observante Degnero, plurimum epidemicae, cum exanthemate scarlatinoso et miliari; quam dysenteriam biliosam ipse habuit, nos erysipelaceam habemus.

Quae in Belgio inter milites brittannos ab ann. 1742—1748. a Pringlio notata sunt epidemiarum genera, fuere praecipue intermittentes paludosae, malignae et dysenteriae, quae militabant sub constitutione epidemica rheumatica.

Ann. 1748. gravis notatur epidemia scarlatinosa, cum angina ulcerosa et parotidibus Hagae Comit.

ab erud. Haenio. Demum ann. 1770 et 1771. regnantem in Gelria febrium putridarum epidemiam scripto consignavit nostras de Man.

Hae per omne Belgium grassatae sunt, charactere bilioso-gastrico, similes earum, quae per reliquam quoque Europam propagatae sunt. Eodem anno 1770. in Hollandia anginae ulcerosae animadversae sunt, denuo post ann. 1746. revertentes.

Quae a seculo XVIII. medio crebrò memorantur febres biliosae gastricae, pituitosae, verminosae, postea febribus catarrhalibus nervosis locum cessisse videntur: quemadmodum supra jam adnotavimus.

DE MORBIS GERMANIAE EPIDEMICIS.

Febres putridae, petechiales, erysipelaceae, dysenteriae principio seculi decimi octavi grassabantur. Secuta est febris miliaris, regnante constitutione scorbutica, quae postea saepius pluribusque locis rediit: anxietate cardialgica peculiari, doloribus capitis, lumborum, artuum, ac pervigilio notabilis, quod excipiebat sopor cumque etiam petechiae adessent, febris purpura miliaris dicta est, cui proderant antiscorbutica. Principio elementum petechiale, altera periodo elementum miliare superabat. Iterum typhus petechialis et intermittentes grassatae sunt. Eas exceperunt ery-

sipelaceae, ab ann. 1716—1721: variolae, scarlatina, morbilli, atque ann. 1719. Berolini epidemia miliaris, una cum peripneumoniis haemoptoicis, dysenteriis, febribus catarrhalibus, rheumaticis. Maxime autem epidemica fuit dysenteria ab ann. 1717—1727, cum petechiis et miliaribus, aut cum morbillis. Regnabant alibi variolae, aut urticaria, alibi denique intermittentes simul animadvertebantur. Atque illae quidem et intermittentes passim, tamquam alternis vicibus, grassabantur, intercurrente exanthemate miliari, indolis primum erysipelaceae, dein catarrhalis, tandem rheumaticae, saepius cum petechiis composito, nec tantum per Germaniam longe lateque disperso atque vagante, verum in septentrionalem usque Europam ipsamque Russiam pertinente.

Quae crebro Germaniam infestavit pestis inguinaria, crebro transire visa est in intermittentes epidemicas, praesertim vero ab anno 1734. grassantes. Eas ann. 1740—1743. typhus bellicus secutus est. Hunc denuo pestis, in Austria inprimis saeviens. Ab anno 1750. describuntur febres biliosae, gastricae, verminosae, putridae. Intermittentes secutae sunt typhosae, tum etiam erysipelaceae et remittentes, ex intermittentium genere: iterumque typhi petechialis epidemia exstitit gottingensis ann. 1757.

In annum 1761. incidit febris mucosa epidemica, quae Roedereri et Wagleri historia inclaruit,

atque cum dysenteria, cum intermittente cumque dyscrasia erysipelacea et scorbutica arcte cohaerere visa est crebramque habuit complicationem verminosam. Morbos istos excepit epidemia variolosa, deinde scarlatinosa, atque hyberno tempore febris catarrhalis. Ab anno 1760—1767. epidemica maxime fuit dysenteria, potius febris dysenterica, saepius bilioso-putrida, vel putrida, qualis a ZIMMERMANNO bernensis epidemia describitur.

Ultima epidemia pestis in Europa fuit ea, quae ann. 1760. exorta est. Postea per Europam grassatae sunt febres putridae et petechiales; tandem variolae epidemicae memorantur. Febres vero biliosas gastricas in Germania, ut alibi passim, subsecutae sunt febres catarrhales, nervosae, intermittentes: cujus constitutionis cyclum hoc nostro tempore clausit cholera asiatica.

DE EPIDEMIARUM IN ITALIA A SECULO DECIMO SEXTO AD SECULUM DECIMUM NONUM SUCCESSIONE ET MUTATIONE.

Incipiente hac periodo typhus petechialis nondum a peste prorsus distinctus sensim sensimque ab ipsa secerni propriaque ac peculiari forma prodire coepit. Secutae sunt neurophlogoses, erysipelaceae, neuroses febriles, intermittentes, quae usque in seculum decimum octavum dominare per-

rexerunt, intercurrente ann. 1709. constitutione rheumatica. A seculo octavo decimo medio ex elemento rheumatico catarrhali et nervoso prodierunt febres mucosae typhoideae, ann. 1763 et 1763. Neapoli visae atque descriptae a celeb. SARCONE. Has seculo declinante exceperunt febres biliosae, putridae, cum petechiis saepenumero, miliaribus, vermibus ac neurophlogosibus: in quibus alterum typhi petechialis principium ab altero magis secedere cumque diathesi biliosa sive intemperie hepatis conjungi videbatur. Itaque ab una parte haec fuit febrium pestilentium in Italia successio ac transmutatio: pestis, febris petechialis, febris bilioso-putrida; ab altera vero: febres intermittentes, febres rheumatico-catarrhales, febres mucosae, typhi, aut typhoideae (*).

DE EPIDEMIARUM IN GALLIA SUCCESSIONE AC PERMUTATIONE.

In Gallia pariter typhus petechialis cum peste alternas tenuit vices; deinceps magis usque peculiarem induit formam propriaque specie prodiit.

(*) Notandum, non ita diu ante epidemiam Groninganam, annis 1821—1822, Romam invasisse gravem intermittentium pertinacissimarum epidemiam, perscriptam a v. doct. BAILLY.

Febres petechiales secutae sunt febres dysentericae et miliares, intercurrentibus erysipelaceis et comitantibus neurophlogosibus. Hujus generis fuere anginae ulcerosae malignae et gangraena secalina: quarum prior, renitente vasorum genere, in anginam abiit membranaceam. Caeterum sub constitutione rheumatico-erysipelacea viguerunt in Gallia cutis mucosaeque efflorescentiae, inprimis vero exanthemata febrilia: variolae, morbilli, scarlatina, miliaria, quae subinde compositae longe lateque dominarunt.

Ex enumeratione epidemiarum ab a. 1771—1830. facta in *Mémoires de l'Academie Royale de Médecine* Tom. III. efficitur, febres typhoideas plusquam tertiam partem esse morborum hoc tempore regnantium. Caeterum dysenterias aut febres dysentericas reliquis epidemiis fuisse numerosiores, hasce sequi erysipelaceas cutaneas et intestinales. Ex anginis: gangraenosa et membranacea, saepe compositis, maximam aegrotantium partem periisse. Ex altera relatione, quae comprehendit epidemias ann. 1836, 1837 et 1838, ibid. Tom. VII. constat, longe maximam partem adtinere ad genus typhoideum reliquasque pariter fuisse ex genere erysipelaceo: sive intestinali, sive cutaneo: dysenterias, diarrhoeas, miliaria, morbillos, scarlatinam.

DE EPIDEMIARUM IN ANGLIA SUCCESSIONE AC PERMUTATIONE.

Princeps primusque hujus periodi initio epidemicus in Anglia fuit sudor ille ephemerinus: sudorem anglicum, ephemeram brittannicam, sudatoriam adpellavere. Inde pestis memoratur tandemque typhus bellicus, pesti primum similior. Intercurrebant intermittentes. Pestem variolae, variolas dysenteriae, dysenterias febris typhosa exceperunt. Hae in nervosas lentas, HUXHAMO dictas, transmutatae sunt inque neurophlogoses et febres putridas (typhos putridos) secesserunt.

DE EPIDEMIARUM IN BELGIO SUCCESSIONE ET TRANSMUTATIONE.

In Belgio, sub dyscrasia scorbutica et cachexia febrili, febres pestilentes, petechiales militabant, intercurrentibus catarrhis epidemicis. Saepius pestis inguinaria calamitosam hanc regionem adflixit.

Ab ea tamen, ut alibi, sensim segregatae sunt febres petechiales diuque pestis, typhus petechialis et intermittens alternatim grassabantur, nec raro simul cum erysipelaceis, praesertim gastricis.

Intermittentes, uti reliquas epidemias sive an-

teibant, sive sequebantur, non raro cum exanthematibus febrilibus cumque dysenteriis compositae, ita typum etiam suum reliquis in regione hac palustri maritima imprimere solent. Ex gastricis illis miasmaticis febribus exorta est febris putrida, hic, ut alibi per Europam, hoc tempore epidemica (*). Postea vero transiit in catarrhalem nervosam ipsumque typhum: dum scorbuticam dyscrasiam in nostra saltem patria manifesto excepit dyscrasia scrofulosa.

DE EPIDEMIARUM IN GERMANIA SUCCESSIONE ET TRANSMUTATIONE.

Ex peste febris petechialis, febris hungarica, febris dysenterica exortae sunt, facta sensim pestis

(*) Epidemia intermittentium gravissima, inundationes atque aestus fervoresque aestivos diuturnos a. 1826. secuta, quae Groningam potissimum adflixit, ad alias quoque patriae regiones pertinuit, praeëuntibus catarrhis intestinorum, sociis symptomatibus apoplecticis aliisque nervorum aegrotantium, pedissequis variis hydropum generibus, magis catarrhalis nervosae, quam nervosae putridae indolis fuisse videtur: quo etiam adtinet observatio, ulcus noma, caeterum frequens, anno quoque 1825, anno sequenti 1826. raro Groningae fuisse visum. Quod autem, praeter topicas, etiam universales caussas intermittentium epidemicarum notare oporteat, docet ipsarum in Italia brevi antea animadversa frequentia et pertinacia inque aliis quoque patriae regionibus dominium.

inguinariae in pestem petechialem metamorphosi, sub regnante constitutione scorbutica: intercurrente febre dysenterica. Deinde dominarunt plurimum erysipelaceae, sub constitutione catarrhali rheumatica. Secuta est febris miliaris, primum cum petechiali composita. Erysipelaceis accessit dysenteria epidemica. Creber pestis in epidemicam intermittentem transitus. Hasce plurimum regnantes secutae sunt febres mucosae sive pituitosae et typhi aut typhoideae. Invaluerunt febres biliosae gastricae, ex quibus tandem putridae provenerunt: ut hic, quod alibi, elementum scorbuticum, erysipelaceum, typhosum prius composita et coalita, in peculiaria febrium genera sejungi, sua singulo tempore epidemicorum more populantia, viderentur; quemadmodum postea febris pituitosa sive mucosa et catarrhalis, prius cum typho et febre juncta, deinde in duas febrium species distinctas secessit (*).

Hisce hactenus expositis efficitur: pestem, febrem petechialem, typhum fuisse morbos pandemios principes per Europam grassantes, cui suberant dyscrasia erysipelacea, scorbutica, scrofulo-

(*) Quae a. 1826. uti in regione Groningana, ita in finitima Jeverana regnavit intermittentium perniciosarum epidemia, ex genere catarrhali pariter et typhode fuisse, monstrant ipsius exitus et crises, egregie descriptae ab excellenti medico practico Popken op. laud. pag. 39, 50, 52, 53, 56.

sa, dum intermittens singulas epidemias copulare cumque exanthematibus febrilibus inter singulas intercurrere, ipsaque constitutio regnans his ipsis intermittentibus et erysipelaceis cutaneis sese exprimere videbatur. Quod autem exanthemata isthaec cum dysenteria aliisque morbis nunc gastricis, nunc catarrhalibus, rheumaticis commutarentur, illud exinde commodam habet interpretationem, quod tunc morbus cutaneus in morbum mucosum, exanthema externum in exanthema internum esset conversum: quemadmodum, recentiorum examine, in typho abdominali res manifesta est. Caeterum in cuncta hacce processus epidemici pandemiarum europaearum metamorphosi cernimus, morbum sanguinis cum morbo nervorum certantem, jam illo jam hoc obtinente principatum, atque uti prius morbus sanguinis praevaluit, ita postea praevalentem sensim sensimque animadvertimus morbum nervorum.

DE MORBIS ENDEMIIS ITALIAE.

Morbi Italiae endemii differunt pro locorum natura et situ, respectu maris et montium. Inflammationes pectoris, rheumatismus, dysenteria, intermittentes, neuroses inprimis ex officina prima provenientes alio alioque loco magis aut minus praevalent.

Genuae dyspepsia et arthritis rariores, quam alibi, crebriores contra phlogoses organorum spirandi et phthises tuberculosae et scrofulosis.

Florentiae peripneumoniae hybernae et vernales multis quotannis funestae. Ad morbos autumnales pertinet dysenteria. Helminthiasis et pellagra in vicinis vallibus, in ducatu mediolanensi, uti in Lombardia universe endemica. Haec, quam inter squamas reponunt (RAYER Tab. XI. bis 12.) ibique cit. ALIBERT) hoc nomine leprae cognata unoquoque vere repullulans aut ingravescens, ex partium insolatione, praeter symptomata cutis aegrae alia obfert aegrotantis primae officinae generisque nervorum. Cf. RAYER III. pag. 874 sqq. Secundum haec systemata affecta tres discernunt

medici hujus morbi gradus. Morbi originem alii ab inopia, alii ab immunditie, alii ab animi pathemate tristi, alii a morbis praegressis repetunt: non contagiosum esse, sed hereditate propagari existimant; primo gradu medicabilis, tertio contra adfecto genere nervorum lethalis est.

Pisae ex acutis vulgares peripneumonia, dysenteria, febres gastricae, bronchitis chronica, tracheitis, ophthalmia, intermittentes (hodie tamen rariores, post agros circum urbem exsiccatos et cultos) ex chronicis spina ventosa, neuroses.

Neapoli ex creberrimis morbis catarrhus est et rheumatismus et neuroses et cutis efflorescentiae et ophthalmiae.

Romae dominantur intermittentes perniciosae a m. Julio ad m. Octobrem, quas qui avertere cupiat, hisce mensibus aliorsum cedat, aut nisi hoc fieri commode possit, sibi caveat ab aura frigida victuque tenui ac refrigerante utatur, quibus maxime neglectis praeceptis, febres istae invadunt.

Praeterea in romanis, quales nunc sunt, peculiaris notatur generis nervorum erethismus. De quo auctor coaevus: » nostra vero aetate, inquit, nervosae adfectiones, spasmi ac convulsiones communissimae sunt feminis praesertim effeminatisque viris, quorum corpora a tam levibus caussis commoveri solent, ut odorum licet gratissimorum vis ea facile perturbet ac male adficiat. Quod sane ignotum fuisse videtur veteribus incolis, qui ma-

xime atque innocue odoratissimis substantiis utebantur. Sed neque Petronii aetate, neque ineunte seculo XVIII. hujusmodi ab odoribus effectus pertimescebant romani; cum nulla de iis apud scriptores fiat mentio et medici, ad cubiculorum aërem corrigendum, florum, herbarum resinarumque odoramenta utrique sexui passim atque indiscriminatim commendabant." Caussam hujus erethismi idem sic explicat: »nihil proinde est, quod miremur, si aucta in dies a molli inertique vita nervosi systematis in romanis incolis mobilitas."

Cum hac proxime cohaeret aliud etiam mali genus, quod romanis incolis familiare, nostra praesertim aetate, censetur: subitanea scil. mors, quae a diversis caussis ortum ducens, modo sporadica, modo epidemica quasi obrepit, sive apoplectica, qualis jam, Baglivio, Lancisio et Morgagno subinde animadversa, epidemiae more: quo capiplenium, languor, expletio Petronio notatae adtinent; sive syncoptica, asphyctica, aliave. Praeterea pleuroperimoniae cito lethales ad morbos non tantum romanos, verum totius Italiae et regionum calidiorum referuntur. Romae vero complicari solent aut componi cum physconiis abdominalibus, febrium intermittentium sequelis. Tuberculosis pulmonum rara, crebra hemicrania. Dermatoses nec frequentes, nec graves. Prodest clima romanum phthisicis idque primo quidem stadio, atque rheumaticis.

DE MORBIS GALLIAE ENDEMIIS.

In Gallia meridionali endemii sunt catarrhi, rheumatismi, pleuroperipneumoniae, phthises, gastritis chronica, febres gastricae, efflorescentiae cutaneae: unde perspicitur, quam parum idonea sit haec regio phthisicis. In aliis depressis, paludosis regionibus Galliae regnant intermittentes eaeque haud raro perniciosae, typo sive remittente, sive tertianario.

In Gallia septemtrionali catarrhi, rheumata crebra; nec desunt, praeter pleuritides et peripneumonias, aliarum serosarum et mucosarum phlegmasiae: rheumatismus articularis, pericarditis, gastritis, enteritis, nephritis, erysipelas. Inter febres exanthema miliare picardiensibus magis peculiaris est (*). Lutetiae Parisiorum febris typhoidea novis advenis ac peregrinis metuenda. Caeterum per omnem Galliam ex chronicis plurimum vulgares syphilides

(*) En France la suette miliaire a été principalement observée en Picardie, en Languedoc, en Normandie, dans le Berry, l'Alsace. Elle est endemique dans quelques localités; je ne l'ai jamais observée a Paris. Elle ne se montre qu'entre le 43° et 59° de latitude boreale. Les localités humides et ombragées favorisent son devéloppement; elle est contagieuse et se propage à la manière de la rougeole et de la scarlatine: ita de hoc exanthemate Rayer l. l. I. pag. 478 sq.

atque inter plebem psora cum syphilide diversimode composita, etiam cum scrofulosi, quae hisce, quae vivimus, temporibus per omnem ferme Europam patet, ut dyscrasia europaea dici juremerito possit.

DE MORBIS ENDEMIIS ANGLIAE.

Ad morbos Angliae endemios referre oportet, inter pueros scrofulam, inter juvenes phthisin, inter adultos et seniores rheumatismum, dyspepsiam, hypochondriasin, asthma, podagram: quorum alii climati, alii vitae generi, pluresque utrique sunt tribuendi. Ex inflammationibus crebrae sunt mucosae trachealis et pulmonalis et meningum (*). Quantopere autem differat in Anglia locorum natura et salubritas, ostendit Jac. Clarke, qui etiam memoravit cachexiam londinensem metropoli huic prae reliquis forsitan peculiarem. Nam ex magna hominum frequentia proculdubio multiplex nascitur aegrotandi opportunitas. Caeterum quaeri, nec sine caussa posset, an non inter hosce Angliae endemios morbos quaedam occulta cognatio existat, ut scrofula ad phthisin et podagram duceret, rheumatismus ad dyspepsiam, dyspepsia ad hypochondriasin

(*) A Sydenhamo incipientes inque nostrorum temporum monographias desinentes videbitis, hosce, quos diximus, inter Anglos a longo inde tempore fuisse morbos maxime communes.

atque parentibus podagricis, dyspepticis proles nasceretur scrofulosa. Ab altera tamen parte animadvertendum est, ingenium Anglorum practicum ac diligens gymnastices studium efficacissima esse endemiorum morborum prophylactica.

DE MORBIS BELGII ENDEMIIS.

Si Belgium continentis Europae mediae littus occidentale, depressum esse reputemus, facile perspiciemus, hanc fuisse febrium intermittentium, scorbuti, hydropis, helminthiasis patriam. Exinde tamen et cultu et vitae ratione mutata cum locorum, tum incolarum natura et ipsa mutata est constitutio endemia morborum. Inter morbos febriles semper intermittentes febres reliquis praecellunt morbisque febrilibus proprium characterem imprimunt. Verum typhus longe crebrior, quam prius, cumque elemento catarrhali rheumatico magis conjunctus: unde febres ita dictae nervosae catarrhales percrebruerunt, rectius fortasse ad typhoideas revocandae. Decrevit scorbutus, in ulcere tamen noma endemico superstes. Increvit scrofula et rhachitis, nec decrevit multum inter vulgus morbus verminosus. Catarrhi et blennorrhoeae et rheumata perennarunt, cum scrofulosi morborum organicorum initia prima; dysphagiae, dyspepsiae,

dysuriae, scirrhi viscerum. Increverunt infantum tracheitides, encephalitides, juvenum phthises. Decrevit calculus, nec decrevit arthritis et podagra. Increverunt autem mirifice, uti per omnem orbem cultiorem, neuroses.

DE MORBIS GERMANIAE ENDEMIIS.

Quod saepius animadvertimus, et hoc loco monendum est, alia aliaque esse morborum endemiorum genera pro alia aliaque locorum natura. In specimine geographiae medicae a LEONH. LUD. FINKE inter morbos Germaniae inferioris morbi gastrici, infarctus, cachexia notantur, in provinciis rhenanis rheumata et arthritides. A THILENIO etiam morbi arthritici et rheumatici, partim gastrici, neque rari ex gastricis verminosi; hydropes. In regione westphalensi pariter morbos gastricos verminosos, hydropicos abundare, idem auctor est. In Saxonia inferiori catarrhos, scrofulas, phthises, morbosque verminosos inter infantes, LENTINO teste, refert. In ducatu luneburgensi endemios esse cardialgiam, rheumatismum, aphthas, idem observat, quos ex pravo victu praesertim repetit. De Borussia pariter, inter morbos, haemorrhoides, infarctus enumerat, phthises et apoplexias, auctore METZGERO, praeterque eas icterum, melancholiam, maniam, epilepsiam. Universe catarrhi et rheumata ab una parte, morbi

gastrici a parte altera inter morbos vulgares crebrius memorantur. Praesertim vero notanda est constitutio venosa et erethismus nervorum tamquam uberrimi morborum in Germania fontes. Alterum adgnoverunt summi a STAHLIO inde Germaniae medici deque eo exstat monographia viri cl. PUCHELT, professoris heidelbergensis. Alterum probat usus narcoticorum quam latissime patens in morbis Germanorum hujusque gentis ingenii cultus omnisque vitae ratio. Aetate prima scrofulosin endemicorum principem esse, nec raram juvenum phthisin, statistice medica probat.

QUAEDAM DE MORBIS ISLANDIAE.

Exstat tractatus de morbis Islandiae frequentissimis auct. JOH. THORSTENSEN physico ejusdem insulae in *Mém. de l'Acad. Roy. de Méd.* Tom. VIII, pag. 28 sqq. unde quaedam hoc loco adnotare lubet, tamquam specimina morborum endemiorum climatis septemtrionalis, deinceps adpositis de morbis Indiae sive climatis tropici adnotationibus, ut conferri inter se possent.

Itaque a climate pendent febres catarrhales, rheumaticae, rheumatismus, rheumatalgiae, arthritis. In febre leviori catarrhali vulgaria catarrhi symptomata: cephalalgia frontalis, lassitudo corporis,

raucedo, tussis, aestus et frigus alternantes, pulsus celer, interdum durus et tensus, dolores vagi omnium artuum, lingua muco albo obtecta, alvus saepius stricta, quam laxa, urina initio morbi plerumque clara, deinde magis rubescens et versus decrementum morbi sedimentosa. Interdum versus phlogisticum, interdum versus nervosum genus magis inclinabat: si prius, symptomata pleuritica, peripneumonica venaesectione levanda, si posterius, typhi speciem induebat. Initium ejus plerumque erat debilitas insignis, animus depressus et languidus, dolor et frigus dorsi, oppressio cardiae, carebaria, lingua subinde omnino pura, aut levi muco obtecta, rarius sordida, alvus rarius stricta, saepius laxa, biliosa, cum dolore colico, pulsus in genere debilis, irregularis, urina interdum clara, interdum rubescens; tussis minime constans symptoma, nisi morbo decrescente, ubi bene ominabatur, si cum expectoratione larga, mucosa, et tum simul secretio mucosa larga non solum ex ore et faucibus, sed etiam e toto canali intestinali, quia excrementa interdum in stadio decrescentis morbi e mero muco foetido consistere videbantur (*). In gravioribus morbi gradibus phantasiae fere continuae, debilitas insignis, labia,

(*) Not. islandos victu maxime animali: lacte, carne vesci; praesertim vero piscibus tum fluviatilibus, tum marinis, teste viro doctissimo.

dentes et lingua in acumine morbi crusta nigra, arida obtegebantur, quae secretione exorta minuebatur et lingua eundem colorem rubrum exhibuit, quem initio habuerat. Sub stadio secretionis mucosae ex ore et faucibus desquamatio linguae, cuticulae labiorum et faucium observabatur, non modo semel, sed interdum ter aut quater in eadem superficie. Stranguria in nonnullis tam vehemens erat, ut modo catheterismo juvari posset. In singulis aegrotis etiam in externo corpore desquamatio cuticulae observata, praesertim in pectore et brachiis, et interdum in toto corpore exanthema rubrum miliare. Quamvis duratio morbi incerta fuerit, tamen plerique aegrotantes ab initio morbi usque ad perfectam convalescentiam ultra mensem, aut 5 ad 6 septimanas aegrotarunt.

Optime tractabatur leni genere medicinae: regimine diaphoretico, refrigerantibus, acidulis, aut levioribus nervinis. Nec dispari modo curatur febris rheumatica, quae semper sporadica. Ex inflammationibus frequentissima pneumonia, tum angina inflammatoria, ex spasmis tetanus neonatorum: ex chronicis arthritis, rheumatismus, induratio hepatis (hepatitis chronica, sive membranacea, sive mucosa) ex caussa rheumatica aut catarrhali. Scorbutus inter pauperrimos quotannis epidemicus. Denique leprae species, *radesyge* dicitur; qua aegroti hebetes, stupidi, vox rauca, facies livida, exhalatio oris foetida, maculae nigrae lividae, tu-

berculosae, indolentes, in ulcera mutandae: quibus oculi, nasus, palatum, fauces, ipsum cerebrum corripitur. Altera leprae species est decidua, quia digitos et ossa metatarsi et metacarpi per ulcera decidere facit, omni sensu in parte deleto. Haec, quae etiam rheumatica dicitur, rarior priore scorbutica: rarissima tertia, quae omnino leprae arabicae similis. Videtur ex Asia allata cum scorbuto (in priori specie) juncta (*). Ex febrilibus exanthematibus potissimum variolae et morbilli plurimum insulam vastarunt.

Discrimen morborum inde repetendum, quod in aliis in frigus renisus phlogosin accendat, in aliis frigoris potentia vincens scorbutum, aut neurophlogoses ac typhum provocet: unde et prior leprae species et altera febrium catarrhalium exoritur.

QUAEDAM DE MORBIS INDIAE.

Inter sese collatis auctorum, praesertim brittannorum, de morbis Indiae relationibus, intelligitur, hos longe maximam partem pertinere ad eos, qui

(*) In prima specie habetur exemplar leprae cum scorbuto complicatae. Est porro animadvertendum, ex auctoris testimonio, morbum venereum non existere in Islandia.

miasmatici dicuntur atque a paludum effluviis originem repetunt. Nam ab neurosibus intermittentibus ad febrim flavam una est et continua processuum pathologicorum series, qua et tertianae simplices, duplices et febres biliosae remittentes et cholerae et diarrhoeae et dysenteriae et hepatitides et gastritides et enteritides et hydropes comprehenduntur, cunctae ac singulae ex eodem pendentes principio eademque societatis lege connexae.

Quae in temperatis regionibus ex miasmate proveniunt intermittentes, eaedem in calidioribus ex eadem oriuntur caussa, sed graviores, in tropicis gravissimae, in continuitatem proclives, turbata circulatione, venis potissimum internis sanguine turgentibus atque oppressis, obrutis, neque nervis debite aut legitime reflectentibus, miram concitantes functionum omnium perturbationem: unde propria ac peculiaris isthaec nascitur pyrexiarum indicarum forma ac facies, qua discernuntur ab europaeis, natura licet atque caussa adfinibus.

In historiâ epidemiarum Minorcae insulae, tradita ab experient. Georg. Cleghorn, docemur, quantopere graviores Europae meridionalis intermittentes tropicis accedant. Periculosae sunt tertianae, inquit, si paroxysmi protrahantur, aut stipentur delirio, comate, anxietate, dolore cardiae, hypochondriis tumentibus, dolentibus: gravissimum discrimen est, ubi parca epistaxis, materies atra supra aut infra expellatur, urina foetida, cute flavedine

tincta, frigore subsistente, aut ardente plurimum cute, aegrotante aphono, stupido.

Ea si cogitemus universa, habebimus febris endemicae Indiae expressam formam. In hac initium fit a memoratis intermittentis perniciosae signis: horripilatione, dolore capitis, cardiae, vomitu sive bilioso, sive albi coloris ac febre parumper remittente, revertuntur eadem symptomata, sed atrociora; tum remissio omnis abest cuteque humida frigida; pulsu parvo irregulari, lingua nigredine tecta vomentesque et ventriculo dolentes intereunt.

Quodsi hisce symptomatibus addamus vomitum nigrum, cutis flavedinem, haemorrhagias, petechias, excrementa foetida, extremorum frigus, exsurget febris flavae americanae imago: in qua, post frustranea renisus molimina, potentia venenata prosternitur aeger.

Adfinitatem morborum miasmaticorum nihil luculentius probat, quam sequens observatio medici franci Cassan, cujus meminit Doct. Evans in *Clinic. Treat. on the endemic fevers of the West Indies.* Ex 28 militibus in agris paludosis sanct. Luciae insulae operantibus intra hebdomadem nullus non aeger ad nosocomium traductus est; quorum tres cholera interempti, quinque dysenteria gravi, quatuor febre adynamica, corpore flavedine suffuso et halitu foetidissimo, reliqui febre perniciosa prehensi, unde vix, nec nisi summo cum periculo vitae, evaserunt.

Quamquam in calidis regionibus non desunt pulmonum, neque in frigidis hepatis valetudines: tamen uti in hisce pleuritides, peripneumoniae et pleuroperipneumoniae frequentes adeo sunt, ut rara secentur cadavera, quae nullam obferunt pectoris, i. e. pleurae pulmonisve inflammati notam, sic in calidis regionibus crebrae adeo sunt acutae et chronicae hepatis aegritudines, ut in valetudinariis observari soleant bilis secretionis laesae symptomata et in mortuis morborum hepaticorum vestigia. Praeter hosce tam mucosae intestinalis, quam cutis morbi abundant, ab essera sive lichene tropico usque ad elephantiasin surinamensem ipsumque entozoon cutaneum, filariae medinensis nomine cognitum. Quoad morbos cutis intestinalis notat doct. Cornuel in Comm. de dysenteria guadeloupensi, *Mém. de l'Acad. Roy. de Méd.* Tom. VIII. crebras et subitaneas tempestatis mutationes, quae in climate frigido concitarent morbos pectoris, in regionibus calidis concitare morbos ventris, et doct. Rufz: senes ibi locorum vulgo extingui adfectionibus gastro-intestinalibus. Ex neurosibus Indiae similiter neuroses gastricae primo loco commemorandae, praesertim colica multiplex, sive enteralgia; tum neurosis spinalis hujusque spastica forma, sive tetanus, qui non tantum laesionibus mechanicis excitatur, verum crebro etiam caussis atmosphaericis aliisve debetur multiplicis generis. Hoc spasmo monstrari, differre vim sensus et vim

motus arbitratur Moseley: illustrat autem recentior theoria. Certe videntur nervi spinales motrices facile in motus cieri enormes in terris tropicis, per conditiones, quae in regionibus sive temperatis, sive frigidis phaemonena isthaec tetanica nequaquam movere solent. Immo prostant exempla tetani intermittentis, ejusdem cum reliquis neurosibus intermittentibus originis miasmaticae et feliciter chinino sulphurico soluti, qualia op. laud. retulit Evans, propter turbatum ex sanguine nervorum munus, quo loco etiam citat exempla inflammationum, aut rectius irritationum intermittentium, suppari medicina et methodo ac reliquae intermittentes curatarum.

Universe notandum, morbos turbatae innervationis turbataeque circulationis abdominalis terrarum tropicarum ac regionum calidiorum esse endemios: unde congestiones, irritationes, phlegmasiae, pyrexiae cum sanguinis dyscrasia aut biliosa, aut venosa vulgo conjunctae.

SPECIMEN GEOGRAPHIAE MEDICAE.

Praemissis generalioribus de morborum tam epidemiorum, quam endemiorum historia, sensim sermonis cursus nos traduxit ad geographiam medicam, quam ita adumbrabimus, ut historiam telluris naturalem tamquam fundamentum subjiciamus: ac quum prius ab oriente et meridie ad occidentem et septemtrionem progressi sumus, jam ordine inverso a septemtrione et occidente ad meridiem et orientem revertamur: est enim omnis haec scientia originis germanicae et recentis, quamquam Hippocrates ingenio ejus speciem finxerat.

PENINSULA SCANDINAVIAE.
(Isoth. 5.)

A Scandinaviae peninsula iter ordiemur, duce ac socio Cl. Schouw. Est regio alta montosa, quam a majori parte circumfluit mare. Ad orientem sensim decrescunt montes, ad occidentem contra praerupti sunt: per illam decurrunt flumina majora et

maria mediterranea. Ipsi montes sunt primae formationis regioque est metallifera. Differt pariter hujus regionis montosae latus occidenti et orienti adversum: in illo clima maritimum, littorale, insulare, id est humidum, nebulosum, pluvium (Bergen) temperatum, in hoc clima continentale: purum, siccum, nec pluvium, aestas calidior, rigida hyems.

Peninsula sylvis abundat ex genere pini arboribusque coniferis, quales: abies excelsa, pinus sylvestris, betula alba. Cerealia caloribus aestivis bene proveniunt. Littora piscibus abundant. Ad occidentem piscatu, ad orientem agricultura, etiam venatu incolae degunt. Morbi multis nominibus conveniunt cum iis Islandiae supra descriptis. In locis altis montosis phlogoses, praesertim pleuritides, in depressis, intermittentes, gastrici, verminosi, ex chronicis princeps est scorbutus: reliqui partim cutanei: scabies, lepra (*) partim intestinales: helminthiasis. Sueciae meridionalis clima magis temperatum, decrescentibus montibus, ubi et fagus sylvatica et quercus robur et cerealia laete crescunt, singulis anni temporibus morbos profert regionum temperatarum morbis non multum dispares: hyeme et vere phlogoses, rheumata, catarrhos,

(*) Hanc scorbuticae originis haberi, auctor est Cartheuser, apud Finke l. l. II. pag. 598. Cf. quae supra de morbis Islandiae deque lepra praesertim adnotata sunt.

et febres catarrhales et intermittentes vernales, aestate atque autumno intermittentes, dysenterias, quaeque putridae dicuntur febres, prope maria mediterranea locaque palustria praesertim, perniciosas, plurimumque timendas: inque locis maritimis et vermes abundant, quod ab ichthyophagia nonnulli repetunt, et dirus regnat scorbutus.

INSULAE BRITTANNIAE.

(Isoth. 10).

Montes habent neque altitudine scandinavicis pares, neque ut hi cohaerentes, et clima insulare sive littorale: atque ob situm montium versus occidentem flumina majora orientem versus fluunt. Montes et primae formationis in Scotia maxime, et secundae in Anglia, potissimum calcareae versus meridiem. Terra sinu recondit et anthraces et metalla. Coelum nebulosum pluvium: pluviarum enim copia abundat Brittannia. (Cf. Berghaus mappa geographica) hinc laete gramina crescunt. In Scotia pinus, in Anglia quercus et fagus praecipue sylvas constituunt: quae tamen minus atque in Scandinavia abundant: neque montes Scotiae sylvis, ut Scandinaviae tecti, sed ericetis et paludibus. Cerealium proventus laetior ad orientem, quam ad occidentem. Bos, ovis, equus, porcus inque Sco-

tia capra, sunt animalia domestica. Agricultura et mercatura artibusque inprimis mechanicis excellunt et per colonias Angli jure merito mundani dici haberique possunt.

Morbi Angliae (*) climatis maritimi sunt et insularis: phlogoses hybernae et vernales, nec non rheumata, catarrhi, intermittentes atque ex chronicis: scrofula, phthisis, arthritis.

PLANITIES EUROPAE SEPTEMTRIONALIS.

(Isoth. 5—10. Mosc. $\frac{10}{20}$.)

Ea planities ab occidente ad orientem procedens, ab illa parte mari ab oriente planitiei orientali Russiae contigua, complectitur Galliam septemtrionalem, Belgium, Germaniam septemtrionalem, Daniam, Borussiam, Poloniam. Quo magis a maris littoribus versus orientem recedas, eo minor calor majusque anni temporum discrimen: ad littora maris clima insulare, nec tanta tamen, quam in Anglia, pluviarum ubertas: aëris flumen est ab occidente; hoc orientem versus mutatur sensim in clima continentale, pluviis aestivis, sicciori ri-

(*) De morbis anni tempestatum scripsit, post SYDENHAMUM et HUXHAMUM, GRANT. De salubritate locorum in Anglia inter se comparata J. CLARKE.

gidiorique hyeme insigne. Nemora frondosa: quercus, fagus in Gallia, Belgio, Dania; in Germaniae septemtrionalis solo sabuloso arbores pinnatae frondosas superant: in Polonia utriusque generis sylvae: alibi majora flumina, alibi magni tractus ericei hanc planitiem perreptant. Caeterum cerealium cultus in hac planitie floret et solani esculenti et leguminum, quibus maxime cibis incolae vescuntur. Piscatores, mercatores, agricolae, artifices in aliis locis alii praecellunt: morbique vel climatis littoralis, maritimi, vel continentalis visuntur: alio anni tempore alii: phlogistici, rheumatici, catarrhales, intermittentes tam vernales, quam autumnales harumque morbi secundarii: ex chronicis scrofula, phthisis, hydrops et plica polonica. Inprimis notandi sunt catarrhi, tam pulmonales, vernales, quam autumnales, gastrici. Isti autem morbi ita differunt, ut in regionibus mari finitimis, depressis, aut paludosis intermittentes graviores sint et pertinaciores, in regionibus altioribus, siccioribus praevaleant morbi pectoris: catarrhi et rheumata vernalia, hyberna, prouti autumnalis tempestas morbique autumnales, aut vernalis morbique vernales majorem anni partem occupent. Ipsi autem catarrhi, qui per omnem hanc Europae septemtrionalis planitiem regnant, in aliis locis et temporibus magis blennorrhagiae: id est inflammationis naturam habent, in aliis blennorrhoeae: id est atoniae, aut neurophlogoseos; ipsaeque neuro-

ses crebro sive rheumaticae, sive scrofulosae originis; quam originem saepe quoque accusant morbi organici. Quod autem et phthisis et intermittens se mutuo non excludant, patria nostra probat, utriusque generis morbi feracissima.

Nequaquam vero par erit omnibus annis morborum ratio. Nam si fieri per planitiem illam pluribus locis inundationes, si hasce sequi ardores aestivos cogitemus, exsurget intermittentium perniciosarum cohors: contra, ubi regnat hybernum gelu, fluente per illam planitiem aëre a septemtrione, aut ab oriente, catarrhi phlogistici et rheumata enascentur: sin vero ab occidente per flumina aërea adferantur maris vapores procellisque et imbribus dispellantur effluvia paludosa, annus erit salubrior minusque intermittentium ferax.

Etiam excisis sylvis purior factus est aër minusque vaporibus gravis et exsiccatis paludibus salubrior. Quibus caussis cum accesserit victus minus crassus, major munditiei cura meliorque vestitus, contigit, ut et pestilentium morborum numerus decreverit et emendata sit dyscrasia scorbutica. Id quod non tantum de hujus planitiei littoribus locisque maritimis deque Neerlandia nostra, verum de Brittannia quoque notandum, quae cum influenza isthac pestilente vexaretur, quem sudorem anglicum vocant, justas meruit Erasmi nostri censuras.

Finkius regiomontanos ex vitae genere chlorosi,

haemorrhoidibus, apoplexiis prehendi atque melancholiam, maniam, epilepsiam ibi endemios esse, teste METZGERO, notavit; inter berolinenses contra morbos pectoris praevalere: quod tamen an recte hisce caussis tribuatur, dubitabit, qui utriusque urbis situm comparaverit.

Mutato vitae genere quoque factum esse, ut plica isthaec polonica, polonis, nec solis tamen, propria, quam alii ad arthritides, alii ad syphilides, alii ad leprosas revocant, longe minus, quam prius vulgaris sit, existimari fas est.

Certe per omnem illam planitiem et locorum naturam et incolarum mores ingeniique cultum multum mutatos esse, negabit nemo, quicunque antiquiorum medicorum relationes inspiciat. Franciae illa pars septemtrionalis praesertim rerum politicarum mutatarum efficacitatem experta est maximam; emendata plurimum est Borussiae conditio ac ne de reliquis moneam, sufficiat nostram patriam citare, quam si cum ea, qualis fuit FORESTI, qualis fuit SYLVII, qualis fuit BOERHAAVII nostri temporibus, conferamus, videbimus, non tantum aliam locorum naturam, alium victum, alium vestitum, alium corporis animique cultum, verumetiam alios mores aliosque morbos: scorbutum v. c. et calculum fere exsules minusque vulgarem helminthiasin febresque putridas et verminosas, et dysenterias; verum frequentiores longe et scrofulas et phthises et neuroses et typhos, sive febres

nervosas; quibus omnibus efficitur et in nostram aetatem convenire vetus illud: *tempora mutantur, et nos mutamur in illis.*

MONTES EUROPAE MEDIAE.
(Isoth. 15.)

Inter planitiem Europae septemtrionalis atque Alpes et Pyrenaeos montes exsurgunt Europae mediae montes, qui per Galliam meridionalem, per provincias rhenanas, Bohemiam, Austriam traducuntur pluresque habent sylvas et flumina et planities intermedias minores: est ea regio metallifera, vinifera. Comprehendit Europa media Galliam meridionalem, Germaniam inferiorem, Bohemiam, Hungariam, magnaque gaudet fontium salubrium ubertate (*), arboribusque cum septemtrionalibus, tum meridionalibus harumque frugiferis.

Ab oris maritimis Galliae versus orientem pedetentim clima littorale in clima continentale transit

(*) Petatur cognitio thermarum et fontium mineralium Europae ex Berghaus *Länder u. Volkerkunde* II. B. pag. 1 sqq. Osann *Darstellung d. bekannten Heilquellen*, II. Th. pag. 1 sqq. et Vetter *Handbuch der speciellen Heilquellenlehre* pag. 1 sqq., quas prior his nominibus distinxit; *säuerlinge*, *salzquellen*, *bitterwässer*, *schwefelquellen.*

pariterque morbi mutantur: etiam hyemes frigidiores, aestates calidiores fiunt. In Gallia meridionali crebri pectoris morbi phlogistici et crebra rheumata, quibus etiam favent flumina aëris nunc calida, nunc frigida in pulmonis mucosam impellentia. In Germania inferiori phlogosibus accedunt neuroses. In Austria et Hungaria morbi gastrici praecellunt, nec desunt intermittentes, in locis depressis magis, aut prope aquas stagnantes ipsaque constitutio rheumatico-phlogistica in constitutionem venosam, nervosam mutatur. Universe et hic differunt morbi, prouti differt locorum natura, ac morborum regionum frigidarum cum morbis regionum calidarum, phlogosium et neurosium compositio est, aut vicissitudo.

PLANITIES EUROPAE ORIENTALIS.

(Isoth. 5.)

Planities Europae orientalis, sive Russica, maxima illa Europae, quae ab occidente et septemtrione versus orientem et meridiem declivis est, perreptatur Europae fluviis maximis inque parte septemtrionali gravia habet mediterranea; in occidentali magnas paludes proque majori parte terra tegitur alluviali. Hyems rigidissima est calidaque aestas magnaque copia nivis terram per plures men-

ses tegit. Sylvae abundant in superiori parte, in inferiori deserta sunt. Ad cerealium cultum planities multis locis aptissima. Orientem incolit gens scythica.

Ex morbis endemiis primarius est scorbutus inque Russia meridionali erysipelas, ejusdem forsitan naturae. Saltem propter potestatem frigoris, naturae organicae inimicam, cui saepe humiditas jungitur, quodque sequitur aestivus calor, brevis quidem, sed magnus, et propter abusum spirituosorum, non mirum est, dyscrasiam et scorbuticam et erysipelaceam nasci ac neurophlogoses: quibus potestatibus insalubribus, qui resistunt validiores, synocho et phlogosibus prehenduntur: peripneumonia, haemoptysi caet. In vicinia paludum regnant intermittentes et hydrops harum pedissequus, nec rarus quoque est in Russia bothriocephalus latus. Prouti autem differt nobilium plebisque vivendi ratio, pro ea ratione differunt morbi: endemii autem praecipue inter plebejos quaerendi sunt, aëris inclementiae magis expositos. Caeterum frigore sensum hebescere obtundique, magis contra evolvi genus musculorum, dura Russorum corpora ostendunt.

Aestate si aër ventis procellisque tempestivis non depuretur, febres putridae, dysenteriae, erysipelaceae grassantur. Balnea vaporis, quibus uti solent Russi, ac continuo post, aquae frigidae et nivi sese immergere, impediunt, quo minus cutis

frigore ac sordibus torpeat sensuque privetur, et structura organica.

CHERSONESUS TAURICA. (DE KRIM).

(Isoth. 15—20.)

Haec peninsula parvo isthmo cum Russia cohaeret. Ejus pars septemtrionalis plana est, meridionalis mons est calcareus, praecipue versus meridiem praeceps, versus septemtrionem declivis. Supra tectus arboribus coniferis, infra sylvae frondosae sunt e fago et quercu: in vallibus versus meridiem patulis, ad septemtrionem montibus ab aëris intemperie tutis, arbores frugiferae meridionales crescunt: vitis vinifera et ficus et amygdalus et oliva: interque animalia domestica camelus est.

Caeterum montium jugis Europa meridionalis a septemtrionali sejungitur. Aëris temperies praecipue in parte meridionali mitis, hyems brevis, raro rigida, ver amoenum, aër denique saluber, nisi nonnullis locis palustribus; ubi febres quartanae et dysenteriae grassari, anni tempestate calida, feruntur: propria quoque leprae species huic regioni endemia dicitur: cujus morbi cutanei eruptionem praecedere vulgo scorbutum, scabiem, aut male curatam febrem, perhibent. Quo loco aër nebulosus est et humidus, et scorbutum et haud raro pestem exoriri, observaverunt.

Hisce relationibus effici videtur, in ea regione morbis septemtrionalibus succedere regionum calidarum morbos, quibuscum tamen quadantenus miscentur: siquidem scorbutus proculdubio ex illis superest ac forsitan cum lepra componitur.

DE MONTE HAEMO (BALKAN) ET ALPIBUS DINARIIS.

De hisce regionibus altis, montosis ibique habitantibus monticolis notandum est, partem meridionalem Graeciae et Italiae supparem esse, septemtrionalem vero Hungariae inferiorique parti planitiei Europae orientalis.

A L P E S. (Isoth. 15.)

Alpes, montes Europae altissimi, a planitie hungarica usque ad rhodani (rhone) ostia pertingunt. Versus septemtrionem declives plures habent valles tam longitudinales, quam transversales et quatuor flumina majora: padum, rhenum, rhodanum, danubium pluraque maria. Altissimis montium jugis primordialibus ad utrumque latus adjecta alia calcaria pluraque recondunt metalla. Plurimum differt clima: versus mare mediterraneum mitis

hyems, versus planitiem lombardicam et Mediolanum immitior. Appeninis montibus interpositis a maris intemperie immunis ad clima continentale adpropinquat. Differt praeterea clima varia altitudine, ut peregrinator plura climata intra viginti quatuor horas experiri possit. Ad meridiem copiam pluviarum pluresque ex mari vapores adportant venti, qui frigore densantur et pluviae forma decidunt. Ad orientem, in planitie hungarica, copia pluviarum minima omnium. Etiam climatis ratione plantae differunt. A montium cacuminibus aeterna nive tectis descendenti occurrunt primum plantae alpinae, tum herbae, porro arbusta, tandem arbores septemtrionales et gramina, denique meridionales frondosae et frugiferae et vitis vinifera.

Ubi tantopere differunt clima et natura locorum, ibi plurimum quoque differre morbos, manifestum est. Monticolae pulmonum morbis inflammatoriis, catarrhis, rheumatismis patent (*): qui loca declivia palustria incolunt, febribus miasmaticis prehenduntur; vallium incolis cretinismus, struma, hydrops, helminthiasis endemia mala sunt.

(*) Hosce patriae suae morbis adnumerat aërisque temperiei variae multumque mutabili tribuit Tissot (*Avis au peuple sur sa santé*) qui Lausannensium morbos praesertim descripsit. Est autem animadvertendum, scripsisse eum regnantibus per Europam febribus biliosis gastricis.

Inter haec endemia mala helvetis propria, alia ex natura locorum, alia ex victu praesertim repetenda sunt. Ex victu lacteo forsitan uberrimus vermium proventus, praesertim bothriocephalus latus repetendus est, ut nequaquam mirum sit, et methodos ad taeniam et remedia anthelmintica complura eaque celebriora ex Helvetia ad nos translata esse: ejusdem originis habetur herpes, quem casei abusui tribuunt. Ex natura locorum et strumae et cretinismus repetitur, quorum hic in vallibus alpinis infimis, aëre humido, nec rite renovato eodemque calido, suscitari atque vitio haereditario propagari dicitur: quamvis neque de hujus mali, neque de strumae pathogenia satis constet. Hunc enim morbum, cretinismum volo, alii cum scrofulosi, alii cum rhachitide comparaverunt. Recentiorum tamen naturae scrutatorum sententia neque cum scrofulis struma, neque cum cretinismo rhachitis recte confertur. Peculiarem esse generis humani varietatem, WENZELII fratres opinantur, neque Fodereanam theoriam, qui ante alia atmosphaeram humidam, calidam, crassam vallium angustarum, caussam igitur nocentem externam, neque ACKERMANNI hypothesin, qui summum morbi rhachitici gradum, sive osteomalaciam rhachiticam, cranii inferioris potissimum, caussam igitur organicam accusat, probantes, geniturae vitio a patre maxime ad prolem transferri censent. Illud certum est, temporis potestate, rerum externarum

mutata conditione hominumque cura emendata locorum natura, longe minorem factum esse numerum hominum infortunatorum hoc malo adflictorum, neque cretinismum duntaxat Helvetiae endemium esse, verum etiam aliis regionibus, ubi suppar est rerum externarum conditio: qua corporis evolutio aut impeditur, aut retardatur (*). Caeterum de cretinismo conferri merentur viri celeberrimi ACKERMANN, FODERÉ et fratres WENZEL, quorum commentationes aliae aliis locis magis elaboratae sunt atque perfectae.

DE PYRENAEIS MONTIBUS. (Isoth. 15—20.)

A mari mediterraneo ad mare atlanticum, mari magis, quam alpes, minus, quam Scandinaviae montes patentes, pyrenaei montes altitudine utrisque intermedii sunt. Nucleus idem est ac alpium eademque metalla recondunt, praeter hydrargyrum. Clima videtur versus mare mediterraneum ad partem meridionalem mitius, quam versus mare atlanticum: ubi contra discrimen anni temporum mi-

(*) Cum systema motorium in cerebro potissimum videatur laesum, conjici posset, ex pigritia motuque neglecto cum imperfecta ex aëre stagnante haematosi, generis irritabilis: i. e. nervorum motus et musculorum impediri evolutionem.

nus: id quod in vicinia oceani vulgo observari solet. Ut in alpibus, secundum variam altitudinem, varia vegetatio est: minor tamen gramineaerum proventus ideoque minor quoque ruminantium cultus.

Europam meridionalem tres magnae constituunt peninsulae: Hispania, Italia, Graecia cum insulis minoribus.

DE HISPANIA. (Isoth. 15—20.)

Haec peninsula pyrenaeis montibus, mediterraneo mari, freto herculeo et oceano terminata, formam habet quadrangularem, nec magnos sinus telluremque altam montosam. Montes sunt primordiales pluraque habent metalla: plumbum, stannum, ferrum, cuprum, argentum, hydrargyrum.

Distinguunt inter regionem mediam, borealem et meridionalem: siquidem nulla Europae regio tam late patentem planitiem editam exhibet: quae tamquam pars praecipua primo describenda. Hic aër siccissimus, fervidissimus: noctu tamen et interdiu caloris gradu multum diversus; diversus quoque aestate ac hyeme, et pulmonicis inimicus, et generi nervorum, et oculis: hinc pleuritides, peripneumoniae, phthises; hinc colica atrocissima biliosa, quam colicam madritensem adpellaverunt;

hinc ophthalmiae et coecitates perquam vulgares. In Hispania septemtrionali ad oras maris intermittentes, helminthiasis, calculus, arthritis, dysenteria, scabies ipseque scorbutus, regnante humido frigido, endemii dicuntur: etiam peculiaris dermatosis: *mal de la rosa* nomine, quam alii leprae speciem, alii scorbuti habent. Hispania meridionalis, solo mirum ab arido solo planitiei mediae distans et vegetatione foecundissima et coeli temperie et omni adspectu Africae littoribus amoenis similior. Morbi abdominis hepatici et neuroses: hysteria, hypochondriasis: etiam intermittentes, in locis maritimis depressis observatae: neque a peste Americana haec pars Hispaniae tuta fuit. Universe de morbis Hispaniae meridionalis animadvertendum est: febres tertianas in littore maritimo et valle fluminis guadalquivir esse epidemicas: obvios ibi esse morbos hepaticos, nec deesse morbos pulmonum et impetigines. Neque pariter desunt neurophlogoses: furunculi, anthraces et quaedam stomacaces species adultorum, sive ulceris noma, de qua cf. *Specim. geogr. med. de Hispania et insulis quibusdam maris mediterranei, quod publico ac solemni examini submittit* Jo. Fred. Hoffmann. Lugd. Bat. 1838. pag. 101 sqq.

DE ITALIAE PENINSULA. (Isoth. 15—20.)

Italiae peninsula, alpibus et mari mediterraneo terminata, forma longitudinali, versus meridiem sinuata est. Ejus maximam partem Apennini montes constituunt, Alpium propago lateralis: inter Alpes et Apenninos magna planities est lombardo-venetiana, quam transfluit padus flumen: reliquae planities minores. Plures lacus habet et paludes. Metalla vix continent Apennini: montes caeteri vulcanicae naturae. Differt clima ad septemtrionem et meridiem, ita ut aestas longius semper protrahatur usque in autumnum: pluviarum copia, versus occidentem major, decrescit versus orientem et meridiem, atque hic serus autumnus, et hyems tempestas pluviarum est. Ex ventis timetur fervidus africus sive sirocco: nec minus timendus aër palustris sive malaria, anni tempore calido febrium perniciosarum ferax. Flora multis nominibus Hispaniae floram aemulatur: inque Italia meridionali atque Sicilia et cactus et aloë americana crescunt. Quae in Hispania abundant ericeta, eorum in Italia rara duntaxat supersunt vestigia. Inter arbores varia telluris altitudine tam Europae mediae, quam Europae septemtrionalis visuntur. Reliquis praecellit fagus. Neque desunt prata, inque suprema regione plantae alpinae: cae-

terum ad vini et cerealium et animalium cultum varia regione idonea est Italia laetusque est fructuum proventus eademque, quae in Hispania, reperiuntur animalia domestica interque fera bos bubalis et sus scrofa.

Ex morbis Italiae endemiis primo loco numerare eos oportet, qui phlogistici genere sunt: tam pectoris, quam abdominis: hi vulgo componuntur, ita ut exinde nascantur inflammationes ita dictae biliosae sive erysipelaceae. Quodsi reputemus, calorem atmosphaerae crebris ac subitaneis frigoribus excipi, a montium jugis adfluentibus, nequaquam mirabimur. Ejusdem biliosi, erysipelacei generis rheumatismus est et catarrhus et cutis phlegmasia multiplex: nec rarus neurosium ex systemate bilioso gastrico ortus, aut cum hoc systemate nexus. Alter fons morborum est miasma paludosum, pluribus Italiae regionibus endemiam intermittentem adferens et reliquam intermittentium pertinaciorum et graviorum progeniem: de quibus passim, compluribus aliis hujus libri locis, sermo fuit.

Proculdubio haec Italiae peninsula in multis cum peninsula Hispaniae convenit: nec tamen negligere oportet diversam loci naturam et tellurem vulcanicam et formam illam longitudinalem, nec quadratam, qualis Hispaniae est, planitie lata altaque media insignis, et vicinia maris et florae diversitas aliaque gentis natura et dispar cultus ingenii variique mores vivendique ratio, quae omnia ac

singula computanda, si rectum de hisce judicium ferre cupiamus.

PENINSULA GRAECIAE (Isoth. 15—20.)

Graeciae peninsula, forma ab aliis diversa, ad meridiem acuminata, sinuosa, versus septemtrionem montium jugis terminatur, reliquis tribus lateribus archipelago, maximam partem montosa: interque montes praecipui Pindus et Ida (*). Flumina et lacus minores sunt. Natura montium partim calcarea, partim vulcanica esse videtur. Clima magis frigidum, praesertim orientem versus, nec tanta pluviarum copia. Flora Italiae suppar. In summis montibus herbae; sequitur fagus; tum quercus et platanus; tandem plantae semper virenrentes meridionales. Cerealia, quae Italiae, et vini cultus et oleae atque ex animalibus domesticis ovis.

Morbi Graeciae a morbis Italiae non multum diversi: inflammatorii, gastrici, intermittentes: etiam nonnullae neuroses. Verosimiliter character erysipelaceus morborum, quemadmodum pridem et antiquitus, sic hodie quoque maxime vulgaris, ut ipsae phlogoses hujus biliosi generis deprehendan-

(*) Hi cum Taygeto altissimi: cf. Schouw's Europa pag. 86.

tur atque ex tempestatum vicissitudine et aëris temperie mutabili catarrhorum et rheumatum forma prodeant, subveniente renisu febrili. Versus meridiem clima mitius morbique regionum calidiorum. Ver minus, quam autumnus graviorum morborum ferax antiquitus habebatur: licet ex observationibus veterum numerosae in Graecia hujusque insulis et tempestatum anni et annuorum morborum anomaliae adnotatae reperiantur.

Caeterum Europae meridionalis calidissima ea regio est, quae Africae fervoribus objecta est: maximaque anni temporum diversitas in Graecia orientali et planitie Hispaniae notatur.

Montium jugis Europa meridionalis a septemtrionali secernitur, quae ubi hiant, ingentes saepenumero saeviunt procellae, et agricolis et nautis invisae. Clima Europae septemtrionalis et meridionalis hyeme magis, quam aestate differt et reditus veris in septemtrione majorem adfert vultus naturae mutationem. Pluviae copiosiores ad latera montium, ad littora maris inque climate insulari: versus meridiem inprimis hybernae: ibi coelum magis serenum et quotidianae ventorum maritimorum et continentalium vices et laetior vegetatio uberiorque, et victus magis vegetabilis et color cutis profundior et major morborum febrilium, gastricorum proventus; dum morbi pectoris et rheumata et arthritides septemtrionalium regionum incolis crebriores.

Ad orientem arctus Europae et Asiae nexus est: siquidem planities illa ingens orientalis planitiei asiaticae propago est. Hujus ad regiones altas montosas portae sunt valles danubii, rheni et rhodani. Etiam spectari potest Europa tamquam tellus montosa alpina, scandinavica, pyrenaea, includens magnam vallem, sive planitiem, quam terminant oceanus et montes uralii.

Denique cultus ab oriente ad occidentem progressus est, quo septemtrionales gentes a meridionalibus differunt.

ASIA.

(Media temp. aequatoris in Asia 28°. 3.)

Quemadmodum Europae respectu Hispania, Italia, Graecia peninsulae recte et dictae et habitae sunt, sic Europa respectu Asiae hujus peninsula dici haberique solet (*). Asia vero ut continentem habet terram longe lateque pertinentem altamque, ita versus meridiem tres obfert magnas Arabiae, Indiae, Indo-Sinae peninsulas.

Ab eximio geographiae cultore Carolo Ritter Africa, Europa et Asia ita inter se comparantur, ut in priori truncus sine artubus, in altera trun-

(*) Inde Europae universae respectu Asiae clima insulare tribuit Berghaus (I. pag. 164) simul et occidentale.

cus magnus articulatus, in tertia truncus respectu ramificationum et articulationum parvus spectetur (*). Trapezium refert Asia, ut Europa triangulum: littorum explicatione Africam longe superat, ut ab Europa vicissim longe superatur: qua individuus gentium character liberius conformari potuit: unde orbis sinensis, malaicus, indicus, arabicus, asiaticus minor: qui characteres individui in Europa maximi, augentur etiam insularum vicinitate. Praegrandia montium juga Asiae num intercedat in parte media praegrandis praealtaque planities, uti nonnullis placuit, nuperae HUMBOLDTII dimensiones plusquam dubium fecerunt. Quapropter Ritterianae de isthac Asiae planitie observationes Humboldtianis illis dimensionibus corrigi emendarique debent: etsi, eodem auctore, planities habeat perquam altas, quarum Persiae occidentalis et tubetiana maximae: minus tamen, quam vulgo creditur, contiguas. Illud vero tenendum, ingentem esse Asiae continentem eamque variam, quam incolunt venatores, pastores, agricolae, quaeque varia obfert climata magnamque anni tempestatum discrepantiam: quamque versus septemtrio-

(*) *Afrika erscheint als ein Stam ohne Glieder: Asien zeigt sich nach drei Seiten hin stark gegliedert, mit ueberwiegender Masse des Stammes; Europa nach allen Seiten zertheilt, mit ueberwiegender Masse der Glieder.* Erdkunde, *Allgemeine Vorbemerkungen* pag. 62.

nem attingit glacies polaris. Accedunt venti ab occidente terram frigidam peragrantes, quodque per omnem Asiam regnat, clima continentale, aestates calidas, hyemes frigidas habens. Ab illa continentis asiatici latitudine climatisque asiatici similitudine manavit partim cultus traditionisque communio atque potestas, quibus Asia incunabula primaque domus infantiae generis humani exstitit et ab oriente ad occidentem progressa sunt artium scientiarumque rudimenta non tantum, verumetiam morborum germina.

Ex his quidem pestis, lepra, variolae memorandae sunt: quarum prior, etsi Asiae finitimam Ægyptum patriam habeat, multas tamen Asiae, praesertim minoris regiones tam crebro invasit, ut inter morbos endemios referri possit, febris contagiosae typum obferens, quemadmodum lepra cachexiae ac dyscrasiae, variolae denique exanthematis febrilis exemplaria sunt. Ex neurosibus colica, ex morbis miasmaticis intermittens et cholera ad peninsulam Indiae, in terris paludosis depressis, pertinet; unde nuper per omnem orbem Asiae et Europae cultiorem dispersa, pandemiae more saeviit magnamque edidit hominum stragem, quemadmodum supra memoravimus (*).

(*) Hae sunt tempestatum in terra Bengalensi vices notatae in Jac. Annesley Researches Tom. I. pag. 103 seq. Tempus frigidum incipit Novembri m. desinit m. Februario. Medio Oct. tempestas jam mutatur. At Nov. m. tempestas fit serena, flante

AFRICA.

(Media temp. aequatoris in Africa est 29°. 5.)

Africa minori littorum explicatione, desertis sa-

borea, thermom 66—86. barom. 29, 98. Medio Febr. tonitrua et fulmina ventique a meridie et oriente flantes portendunt adpropinquantem tempestatem calidam (thermom. 65—82. barom. 30, 3.) Haec m. Martio orditur: cujus sub finem procellae, imbres. M. Aprili et Maio tempestas calida humida aere stagnante. Ab Junio incidit anni tempus pluvium persistitque per quatuor menses subsequentes, dumque medius calor erat m. Maio gr. 86 et barom. statio ad gr. 29, 60 flante austro, jam medius calor est 81. barom. 29, 45 ventusque varius, euro saepius redeunte et adferente imbres: donec tandem m. Octobri medio et pluviarum copia cessare et ventus mutari et anni tempus frigidum reverti incipit. Pluviarum copia aestimatur 80 poll. Caeterum tempestate pluvia calida, regnante humido calido, febres, tempestate humida frigida, dysenteriae et diarrhoeae, tempestate fervida denique, sive calida, hepatitis et cholera reliquis annuis epidemiis praecellunt (ibid pag. 110.) — Venti in peninsula Indiae universe periodici a septemtrione et oriente (boreas) a medio Octobri, a meridie et occidente (africus) a fine Maji, m. m. Martio, Aprili, Majo ac Septembri varii sunt: differunt vero hoc respectu littora orientalia (*Coromandel*) ibid 136.

In urbe Madras et vicina regione, quae praevalent valetudines, sunt: febres, dysenteria, hepatitis.

Morbi insulae Javae sunt febris endemica, paludosa illa, dysenteria, hepatis aegritudines, diarrhoea chronica, ulcera gangraenosa: pag. 181.

bulosis, prae aliis mundi partibus climati tropico subjecta, aquarum internarum inopia, plurium terrarum ariditate, propria flora et fauna naturaeque vultu peculiari, africano, gentis aethiopicae forma et habitu distincta, longe minorem obfert formarum varietatem minoremque ingenii cultum, majorem contra ipsius hominis ab externa rerum natura pendentis servitutem. Tribus aethiopica hominis barbari, inculti, infantis imaginem nobis repraesentat ipsique morbi plasticorum infantilium morborum typum tamquam in fronte ac facie gerunt: convulsiones sine renisu febrili, acor primarum viarum, scrofula mesenterica (SCHNURRER) (*), quo ab asiaticorum et europaeorum morbis distinguuntur, ut plantae et animalia Africae ab Asiae Europaeque plantis et animalibus distant. Hoc peculiare ac proprium, hoc heterogeneum peregrinumque, quod Africae productis inhaeret, veteribus haud praetervisum, inter ipsos in proverbium abiit atque hoc sensu etiam dici potest, quod saepius dictum est atque alio alioque sensu repetitum: semper monstri quid alere Africam (†).

(*) Observarunt praeterea itineratores peculiarem temperaturam cutis.

(†) Ad promontorium bonae spei thermometrum raro infra 48 Fahr. m. frigidissimo Junio, nec supra 90 m. calidissimo Januario: temperatura media 79 hoc mense, et 61 m. Junio; regnant autem febres, adfectiones pulmonum, dysenteria, hepatitis.

AMERICA.

(Media temp. aequatoris in America est 27° 2.)

Montium catenis, forma longitudinali, insulari, terrarum montosarum ac depressarum discrimine, fluminum giganteorum ubertate, sylvarum densissimarum vegetabiliumque mira luxurie, insignis America intermittentem fovet, endemiorum princi-

---

Ad littora Guineae, regnante universe africo, temperatura intra gr. 72—86, menses quatuor primi calidissimi: sequuntur pluviae a Majo ad Augustum; inde tempus frigidius ad m. Decembr. Morbi praecipui annui sunt: febres, dysenteria, diarrhoea, hepatitis, eo, quo recensuimus, ordine. Praecellunt febres et dysenteria: hanc ab aquis stagnantibus repetunt. Quocirca Sierrae Leonae, quippe aquis salubribus abundante, haec multo rarior est. Ad littora occidentalia Africae ex malaria uberrimus morborum proventus: incolae autem Nigritae sive Æthiopes vix ullo morbo aegrotant, nisi dysenteria epidemica, aut epidemicis variolis Haec ad Africam meridionalem. Oppositam partem Africae, septemtrionalem illam, quod spectat, quatenus Franciae colonia est, auctore doct. Boudin, algerienses morbi sunt intermittentes, ubi tellus argillacea, loca palustria (Bone, Alger) dysenteria, ubi aquae crudae, durae, calcareae (Oran). Febres typhoideae ibi nullatenus regnant, nec pectoris morbi, nec phthises, quae saepenumero in iisdem regionibus sociae p. 79. Hae Constantinae vulgares pag. 81. cf. pag. 93 sq. et pag 101 sq. Cf. libri versionem Germanicam auct. A. Drey Erlang. 1844.

pem (†) atque hujus antidoti, nobilis corticis febrifugi, patria, est tamquam ingens Europae colonia, tamquam altera Europa spectanda, cujus tamen pars septemtrionalis a meridionali parte secernitur ac segegratur, illa septemtrionali, haec meridionali Europae adfinior: recentioris denique nisi originis, saltem cognitionis.

Cum Europa convenit septemtrionali septemtrionalis America, rem indicante Rittero l. l. II, 1. pag. 23 sq. Distinguitur autem maxima expansione verticali montium, apicibus turmatim exstantibus, huicque expansioni verticali congrua depressione orientali (*): montium decursu et axi praesertim a septemtrione ad meridiem longitudinali, imposita montium jugis ignivomorum, vulcanicorum montium serie, tamquam terrae meatibus et spiraculis, parte media plurimum sinuosa articulata.

In America, referente Humboldtio, ratio regionis montosae ad regionem planam est, uti 1 = 4. Orae septemtrionales et occidentales orbis novi

(†) Quo etiam origine tenus febris illa flava, Americae septemtrionalis progenies, referenda (Sigaud l. l. pag. 257). Quoad febris in America frequentiam, haec monuit Annesley, postquam de frequentia dysenteriae in India orientali scripserat: » In the western hemisphere the much greater prevalence and fatality of fever, than dysentery are extremely manifest."

(*) Das grösste System der Kettengebirge mit untergeordneten Plateaubildungen. Ritter, libr. laud.

cum oris occidentalibus Europae conveniunt.

Refrigeratur clima Americae meridionalis gramineis, ut septemtrionalis Americae densissimis sylvis, quibus et australis America abundat, quibusque proculdubio increscit aëris humiditas inque locis declivibus calor. Ventos quod spectat, venti maritimi tempore calido regnant, frigidi contra tempore frigido (*).

Ad morbos endemios Brasiliae ab archiatro SIGAUD nuper relatos video strumam, erysipelas, pian, hydrocelen, lepram, haemorrhoides, intermittentes: hae et aëri palustri et aquis corruptis debentur, quibus etiam adscribitur ejusdemque originis habetur anaemiae aut cachexiae miasmaticae species, quae anaemia tropica, aliis hypoaemia dicitur et quae globulini defectu notabilis est. Magis autem hepar, quam lien hisce febribus laedi videtur. Inter morbos pectoris phthisis perquam vulgaris est in Brasilia, quae, monente eodem auctore, originis esset sy-

(*) Demerary, Berbice et Essequebo in regione insaluberrima littorali Americae meridion. praecellentibus primis sex mensibus ventis ab oriente pluviisque, inde quatuor sequentibus procellis, aut ventis variis, ultimis tempestate serena sicca, thermometr. a gr. 77—87. Morbi sunt febres, adfectiones pulmonum, dysenteriae, diarrhoeae, hepatitis: praesertim vero febres, quae universe per Americam regnant: quamvis abundent quoque inter europaeos saltem peregrinos et advenas pulmonum adfectus: immo inter ipsos aethiopes.

philiticae, ut alibi scrofulosae, et humiditate promoveretur (pag. 301.) Nec desunt pneumoniae et pleuritides, quae tamen ex morbo hepatis provenire feruntur (pag. 307).

Ex inflammationibus creberrima hepatitis, vulgo abscessu terminata, aut induratione: etiam dysenteria hepatica. Ex neurosibus colica, neuralgiae trisplanchnicae nomine dicta. Crebri morbi oculorum (*) et dermatoses: erysipelas praesertim; denique haematuria ex refrigerio.

Circa Americae septemtrionalis clima notandum, id differre multum in variis locis. De Carolina meridionali animadvertit LION. CHALMERS, aëris temperiem subitas subire vicissitudines, praecipue hyeme et vere, et quidem a calido humido ad frigidum siccum, atque autumno, ubi aër est quietus, largis crassisque nebulis terram tegi, inprimis summo mane, deinceps sole et ventis dispellendis. Adjacet autem Charlestown ad littora maris. Tum etiam crebra tonitrua esse et fulmina procellasque. Inter morbos principem locum tenent intermittentes ejusdemque naturae remittentes, cholera, colica sive enteralgia, icterus, hydrops, infarctus hepatis et lienis, tetanus, dysenteria. Incidente tempore frigido, rheumata, catarrhi; hyeme, peripneumonia, phthisis, asthma, apoplexia, arthri-

(*) Offendunt coeci et strabones in metropoli Brasiliae, ut in Europae urbibus gibbosi et rhachitici.

tis. Hi morbi sic anni tempestates sequuntur, ut autumnales intermittentes excipiant mense Octobri et Novembri morbi ex elemento intermittente et inflammatorio mixti, quales pariter mense Martio et Aprili visuntur: hyeme intermittentes inflammationibus cedant, rheumatibus et catarrhis. Ex neurosibus convulsiones, hystericam, hypochondriacam passionem, tetanum, apoplexiam nervosam, colicam s. enteralgiam, rheumatismum: denique ex chronicis haematosibus haemorrhoides et hydropes crebras esse, idem auctor notavit.

Videntur morbi Americae septemtrionalis morbis europaeis similiores esse, quam morbis Americae meridionalis. Interim circa morbos Indiae universe notandum, discernendum esse inter morbos advenarum peregrinorumque et morbos incolarum, indigenarum: quod praeceptum praesertim a brittannis, se suaque ante omnia curantibus et cogitantibus, neglectum esse, horum scripta pervolventibus adparebit.

QUAESTIONES GEOGRAPHICAE ATQUE ETHNOGRAPHICAE.

Ab eo inde tempore, quo intelligere coeperunt medici, historiam morborum esse partem historiae naturalis, etiam de geographia atque ethnographia morborum coeperunt cogitare. Verum hic idem evenit, quod in aliis evenire studiis humanis solet. Conjecturas finxerunt, antequam observationes fecerant atque leges sanciverunt, fundamento empirico destitutas. Exemplo sint virorum celeberrimorum nuper hac de re edita placita, quibus firmandis deëst hactenus inductio legitima. Versantur nimirum geographia atque ethnographia morborum in primis rudimentis: ex quibus ut excedant, opus est itineratoribus medicis, quos instructos esse oportet omnibus illis subsidiis, quae ad tale propositum requiruntur, inprimis vero studio naturae universae, quale in exemplo nobis exhibuit Alexander ille Humboldtius, mundanus. Hac igitur hujus disciplinae conditione praestabit quaestiones aliquot geographicas atque ethnographicas

21

agitare, quibus in futuras ejus fortunas prospicicmus.

Et primo quidem loco videndum est, quatenus differant morbi respectu locorum: non tantum latitudine et longitudine, verum etiam idque praesertim altitudine tenus. Exinde v. c. morbi planitiei hispanensis praealtae repetendi sunt altiorumque Asiae atque Americae regionum. Quaeritur autem, utrum ad ejusmodi conspectum vetus isthaec divisio orbis sufficiat, an potius probanda nova, qua in tres partes discriminaverunt continentem, adjuncta quarta parte insulari (polynesia) ut Europae Africa adderetur atque Asia minor, Asiae Australia; aut altera illa, quâ Europa habetur pars littoralis Asiae occidens, et peculiaris discernitur orbis Africanus atque orbis Americanus. Certe multa sunt Europae, Africae septemtrionali, atque Asiae minori communia, ne de reliquis moneam; sunt et alia Asiae praesertim mediae et meridionali propria: neque, ut peculiaris est vultus naturae Americanus, desunt hujus et Asiatici similitudines.

Quatenus in explicanda morborum distributione ex lineis isothermis (*) atque isodynamicis proficiamus, nondum liquet. Certe ad has solas animad-

(*) Ex. l. sit isoth. 8—12. quae etiam nostram patriam comprehendit. Neque in climate dijudicando ad isothermas adtendisse sufficiet, verum isochimenas et isotheras quoque notasse oportebit.

vertere non sufficit, nisi habita simul ratione naturae soli, viciniae maris, fluminum aëris, atque incolarum, tam vegetabilium, quam animalium.

Verum quod hucusque perperam neglectum est, aquarum etiam, quas bibunt homines (*) atque tam vegetabilium, quam animalium, quibus vescuntur (†), habenda ratio est. Neque satis est, hanc indicasse, sed inprimis et potus et cibi salubritatem notare oportet. Aut quis credet, aquas et plantas et animalia domestica, quibus utimur, vitio carere semper, neque climatis vim subire, quam subeunt homines.

Sunt quaedam distinctiones geographicae medicis nosologis faciendae plurimum. Regionibus insularibus et littoralibus v. c. communis impressus est character nosologicus: proprius pariter est terris alluvialibus, ad ostia fluminum sitis (deltas adpellant) deltae niloticae, gangeticae, rhenanae caet., morborum miasmaticorum locis natalibus. Febres typhoideas ferunt inprimis magnarum urbium esse atque ex contagione humana nasci. Alii typhum orbis septemtrionalis incolam reputant.

Hoc autem loco quaeritur, utrum vere dicatur:

(*) De aquarum insalubrium potentia, in fluxu dysenterico movendo. Cff. CORNUEL et BOUDIN ll. ll.

(†) In hunc locum quaedam notavit SCHNURRER, libro in indice laudato. pag. 182 sqq.

pestem et typhum semet mutuo excludere (*) intermittentes et phthisin (cujus rei utinam haec chara patria testis foret!) pestem denique morbum esse non contagiosum, verum duntaxat miasmaticum, ut multis hodie placet (ad hanc quaestionem respondere, historiae munus est).

Simul vero quaeritur, cur pestis africana, quae toties Europam populavit, ipsi tamen indigena facta non sit, ut altera asiatica, variolosa. Cur neque cholera, cujus indubia est ex Asia origo, quamvis omnem peragraverit Europam, hactenus Europae incola facta videatur. De febre flava, originis americanae, quid tenendum, incertum est. Ex reliquis, familia typhoidearum europaea censetur, quamquam ne hujus quoque limites polares statuere sustinerem. Similiter lepra, num climati europaeo congruat, dubium. Saltem in hac mundi regione vulgaris esse desiit, a syphilide verosimiliter pulsa. Scorbutus, prius communis, jam scrofulosi cessit; quam et ipsam tam leprae, quam syphilidi cognatam habuerunt. Hujus vero

(*) Historiae testimonia huic hypothesi minus favent. Cogitate exempla pestis cum symptomatibus typhosis, intermittentium cum iisdem ipsiusque cholerae in typhum desinentis; priora Foresti aliorumque antiquiorum; posteriora recentis observationis: quae ignorasse videtur Boudin vir doct., hanc hypothesin proferens. Nequaquam etiam huic conjecturae favent observationes viri doct. Rufz in ins. Martinique factae, quae et aliorum opinioni contrariae de ortu tuberculorum ex inflammatione.

(scrofulosin volo) definire orbem, reï peritus contendet nemo: quandoquidem cachexia isthaec fere in pandemiam evasit. Superest phthisis, cujus imperium latius semper extenditur.

Denique geographia morborum, quatenus geographiae plantarum et animalium consonet, in tanta harum disciplinarum ignoratione, non facile quis explanabit: geographiae morborum saltem vix fundamenta jacta sunt.

Ethnographiae suppar conditio: de qua monendum est, tres humani generis varietates, vulgo agnitas: aethiopicam, mongolicam, caucasiam, quibus nonnulli adjungunt americanam et malaicam (*), sensu nosologico vixdum esse investigatas. Ex tribus prioribus aliam sensu, aliam motu, aliam intellectu praecellere dixeris, quemadmodum tam capitis forma, quam omni corporis habitu declaratur iisdemque nobis repraesentari plebis, militum, eruditorum tribus, familias, castas ex politeia veterum (†). Haec tamen discrimina, ut conjecturalia

(*) Americana mongolicae, malaica aethiopicae suppar ipsas cum caucasia nectere dicuntur: quas si retineamus, etiam finnicam et plures forsitan alias discernere oportebit.

(†) An odoratus, auditus, visus officinae in tribus his varietatibus, an regiones cerebri aliae in aliis eminent?

Caeterum hoc loco memoranda est varietas morbosa (leucaethiopiam vocant quique ad eam pertinent leucaethiopes, sive albinos) de qua Cff. Jo. Fred. Blumenbach, de generis humani varietate nativa §. 80. pag. 110 sqq. et Prichard l. l. I. pag.

sunt, ita an varietates ipsae adeo distinctae sint, ut nulla poni possint gradus intermedii, nescio. Dubitandi locum faciunt formarum colorumque in singulis notatae ab itineratoribus fide dignis, diversitates: ut inter ipsos aethiopes observaverint vultus europaeorum similes, quemadmodum inter europaeos prostant exempla formarum ad varios istos typos accedentium (*). Sane perdigna res est, quae a naturae scrutatoribus adcuratius perquiratur: idque non in museis, verum in ipsis variis nostri orbis regionibus. Rei specimina nuper protulit vir erud. PRICHARD in opere anthropologico prius laudato. Is animadvertit, morborum contagiosorum nullum esse uni duntaxat varietati generis nostri ita proprium, ut alias nequeat prehendere. Quod si cogitemus pestem, variolas, febrim flavam, typhum, choleram asiaticam, omnis generis homines contagione adficientes, viri eruditi sententiae suffragandum est: deque chronicis

---

221 sqq. et alibi passim, docens, in diversissimis terrae locis atque inter omnes cujuscunque varietatis homines ejusmodi leucaethiopes sive albinos reperiri. Vitiosa cutis capillorumque albedo, proprius iridis color, subroseus vulgo, ex pigmenti defectu ac photophobia, sive nyctalopia morbum hunc distinguunt. Ab hoc differt chlorosis, ex qua crebro aegrotare nigritae feruntur. SCHNURRER, pag. 242 sq.

(*) A PRICHARDO in multis differt SCHNURRER, in ejus *Geographische Nosologie*. Verum notetis quaeso, librum prodiisse a. 1813.

novimus lepram, syphilidem, scabiem nulli varietati parcentes: etsi fateor, quosdam morbos esse quibusdam gentibus magis peculiares: elephantiasin, yaws aethiopibus, plicam polonis, cretinismum helvetis, neque his tamen solis. Tribus Americae iisdem patere valetudinibus, quibus aliae hominum varietates, ejusdem auctoris observatio est: pariaque adferri exempla de lapponibus a Scheffero et Linnaeo deque asiaticis a Pallasio et Gmelino itineratoribus.

Una cum regionibus mutari morbos, et vetus Ægyptus et nostra patria testis est, cumque gentibus ex aliis in alias migrare regiones, docent pestis, lepra, variolae. Num ita peregrinantes naturam formamque mutent, quaerentibus vobis respondebunt hae ipsae: quid quod nuper choleram illam asiaticam vidimus, ubivis terrarum sibi similem.

Ex quaestionibus ethnographicis primaria illa est, quae craniorum formas adtinet. Earum tres discriminavit Prichard: angustam, elongatam, projectis maxillis (prognathous nomine dixit) pyramidalem, latam, exstantibus jugalibus; ovalem, symmetricam, prominente fronte, quarum prior aethiopicae, secunda mongolicae, tertia caucasiae varietati congruit, Altera diversitas a colore ducitur capillorum et cutis, qui vel niger, vel fuscus, vel flavus, candidus est: prior aethiopicus, alter mongolicus, tertius caucasius, sive potius

europaeus: ita quidem ut capilli flavi oculique caesii antiquae Germaniae gentibus praesertim proprii dicantur.

Harum autem varietatum quot quantaeqne sint diversitates, et itineratorum observatio et quotidiana docet experientia. Universe notandum, quo minus excultum sit ingenium, eo magis et crania et facies et formas tribuum expressas habere barbarieï notas (*). Ita in caffris, qui caeteroquin nigritis sunt adfines, jam frons explicatur, atque veterum aegyptiorum vultus liberalior longe magisque humanus est. Mirum quippe est, quantopere cultu perficiatur homo.

De quo cogitantibus nobis nova oboritur quaestio: utrum psychica sit tribuum animadvertenda varietas differantque hoc respectu aethiopica et mongolica a caucasia. Ad quam quaestionem ita respondet Prichard, esse psychicas adfectiones dotesque cunctis ingeneratas nullisque prorsus negatum esse characterem humanitatis. Et recte ille quidem. Ecqua enim gens est, tam ferox, quae litteris excoli et ad religionis praecepta conformari

(*) Linguarum discrimen an demonstret, ut quibusdam placuit, non unam esse generis humani originem, mihi quidem cum Prichardo incertum videtur. Cf. op. laud. II. x. et alibi passim. Sane cavere oportet, his praesertim temporibus, ne scientiarum idolo plus tribuamus, quam par est.

nequeat (†). Verum alia longe quaestio est, num ad scientias excolendas suppar universis sit ingenium. Nos europaei primas partes caucasiae varietati tribuere solemus. Meminisse tamen juvabit et cultum aegyptiorum (*), quorum institutione profecerunt veteres et cultum sinensium, quos geographiae peritia excellere, locupletissimus nobis testis est HUMBOLDTIUS: ut utrisque ingenium arithmeticum et mathematicum adjudicare oporteat: quemadmodum graecis ingenium fuit ad ingenuas artes litterasque humaniores, germanisque ingenium est metaphysicum.

An secundum zonas et homines et morbos distinguere licet, uti nonnullis visum est, ut alii sint aequatoris et tropicorum, alii borealium, alii temperatarum regionum? An morbi abdominis, pectoris, capitis singulis zonis peculiares censendi sunt? Id quidem nemo facile contenderit, observans, neque morbos gastricos, neque morbos in-

---

(†) Linguae copticae, semiticae, indo-germanicae, monosyllabicae Asiae orientalis, et polysyntheticae Americae, num ad singulas varietates referri debent: priores ad aethiopicam, mediae ad caucasiam, ultimae ad mongolicam? Quid docuit hactenus linguarum scientia genetica?

(*) Tametsi aliis aliter videatur, qui aegyptiorum tribum nobilium, sive sacerdotum caucasiae varietati adnumerant, PRICHARDI argumentis victus, hujus viri docti sententiae adstipulor. Op. laud. Tom. II. cap. XI.

flammatorios, neque neuroses capitis triste esse aethiopum, lapponum, germanorum privilegium. Nonne scorbutum olim dyscrasiam europaeam fuisse, novimus hujusque in Europa etiam meridionali cerni vestigia? Nonne ex phthisi aethiopum gens crebro occidit (*)? Nonne mania, epilepsia, aliaeque cerebri neuroses omnes pariter generis humani varietates adfligere solent (†)? Quae reputanti mihi arduum videtur, morbis universis vel locum adsignare, vel limites statuere polares, quos transgredi non licet. Nequaquam tamen nego, cuique regioni et climati suam esse physiognomiam tam botanicam, quam nosologicam, quae ut junctis virorum doctorum studiis melius in dies cognoscatur, vehementer cupio (§).

(*) Attamen in *Etude de la phthisie à la Martinique* animadvertit saepius laud. doct. Rufz: »*parmi les races, qui habitent les Antilles, les Européens et les Africains sont moins sujets à la phthisie que les créoles.* In Europa contra ex phthisi scrofulosa africani haud raro pereunt Cf. Schnurrer pag. 243 sq.

(†) De lapponum aliarumque gentium borealium erethismo nervorum plura refert, animadversione perdigna Fred. Schnurrer v. doct. l. l. p. 234 sqq.

(§) Plura, quae huc spectant, ex relationibus historicis supra traditis, nec non ex notatis morbis endemiis, in hoc libro passim expositis, colligere, si lubet, poteritis.

ADNOTATIONES IN LEUCAETHIOPIAM.

Albinos esse et plantas et animalia et homines, animadvertit Blumenbachius. Inter animalia cuniculos albos, mures albos, canes albos, immo inter aves et corvos albos commemorat. Circa leucaethiopiam humanam docet, morbum esse humani corporis plerumque congenitum, in aliis terris rariorem, in aliis frequentiorem et endemium. In multis epidermidem, praeter colorem, parum aut omnino nihil natura sua mutari. Capillos plerisque niveos esse, molles et simillimos lanae caprinae. Oculos interdiu nictitare, iridis et chorioidis colores varios quidem esse, omnes tamen pallidiores, ut minus lucis resorbeatur et retina eo magis adficiatur: multis roseos esse, sed et caesios non raro sibique videri, Hieron. Cardani familiam hoc morbo laborasse. Neque omnibus tetrum et foedum habitum esse: vulgo autem debilis esse et inbecillis corporis. Animam denique et mentis dotes hoc morbo minime adfligi, sed bene valere posse: juvenis eruditi atque litterati, malabarici paedagogi et Hieron. Cardani exemplo.

Hisce animadversionibus Blumenbachii subjungere ea, quae notavit Prichard, haud incongruum erit.

Is albinos isthmi darici et Indiae et Africae commemorat, docens, omnium esse tribuum generis humani hanc varietatem morbosam ac referens observationem celeb. de Buffon, quem ipse ab aliis acceperat: » *que presque tous les nègres mâles et femelles qu'on a tirés de la Côte d'Or en Afrique pour les îles de la Martinique, de la Guadeloupe, et de la Dominique, ont produit dans ces îles des nègres blancs, non pas en grand nombre, mais un sur 6 ou 7 enfans.*" In his autem iridem fuisse coloratam eosque accedere ad flavam varietatem, oculis caeruleis, Prichardi observatio est. Ipse plures esse gradus intermedios notavit passim.

Exempla protulit RAYER leucopathiae accidentalis; quorum alterum referam: » FRANCK, *née en Virgine, agée en 1758 de quarante ans, d'une excellente santé, d'une constitution forte et robuste, fille, cuisinière du colonel Barne, avait la peau aussi noire que celle du plus brulé Africain; mais il y a environ vingt ans qu'elle remarqua d'abord que la peau qui tient aux ongles de ses doigts commencait à blanchir: sa bouche bientôt après subit le même changement. Actuellement dans les quatres cinquièmes de la surface de son corps, la peau est blanche, unie, claire, transparente, ce qui lui reste encore de noir perd peu à peu cette couleur: le cou, le dos, le long des vertèbres, sont les parties qui retiennent le plus de cette ancienne couleur; la tête, le visage, la poitrine, le ventre, les jambes, les bras, les cuisses, sont presque entièrement blancs; les parties naturelles et les aisselles sont bigarrées de blanc et de noir, la peau de ces parties, partout où elle est blanche, se trouve couverte de poils blancs, et la où elle est noire, elle a aussi de poils noirs. Son visage et sa poitrine s'enflamment dans la colère ou se couvrent de rougeur naturelle à la honte, toutes les fois qu'on excite chez elle ces passions. Lorsqu'elle est longtems exposée à l'action du feu, on remarque sur les parties, devenues blanches, des taches de rousseur. Cette femme n'a jamais eu la moindre incommodité, ses règles n'ont jamais souffert d'irrégularités que celle de la grossesse; elle n'a jamais eu aucune maladie de la peau, ni appliqué sur elle aucun topique qui puisse avoir donné lieu au changement; il a eu lieu également sur les parties qui sont à l'abri du feu, comme sur celles qui y sont exposées. La transpiration se fait chez elle aussi bien qu'il est possible et la sueur sort avec la même liberté des parties blanches et de celles qui sont noires. Un vesicatoire appliqué au bras n'a pas répondu à notre attente.*"

Quemadmodum alii hanc propriam esse dixerunt generis humani varietatem, sic alii leprae aequipararunt: utrique, meo quidem judicio, perperam; quandoquidem solum pigmentum defi-

cere videtur: ut leucosis et melanosis opposita vitia esse adpareant, melanoseos nomine latiori sensu sumpto. Albinos igitur vocamus homines decolores, deficiente pigmento. An deficit carbonium in his inque nigritis abundat? An evolutionis vitium est, ut ultima linea desit. An cum temperamento lymphatico cohaeret, aut vitio scrofuloso?

Sane plura sunt de hac quoque varietate morbosa, virorum doctorum studiis ac laboribus perquirenda.

MORBORUM GENERA, FAMILIAE, TRIBUS.

Esse regnum morborum organicum, medicis philosophis jam dudum persuasum fuit: cumque vulgus medicorum functiones laesas morborum nomine salutaret, SYDENHAMUS, GAUBIUS, REILIUS, PINELLIUS, KIESERUS, STARKIUS de condendis morborum generibus naturalibus non desperarunt. »Non est (sunt verba GAUBII, viri immortalis) cur desperent medici, fore aliquando, ut ingens morborum humanorum numerus, exemplo ab historiae naturalis scriptoribus petito, in ordinem systematicum redigatur, qui ab omni hypothesi sectarumque commentis liber, sola nixus fideli observatione, classes, genera, species exhibeat, suis singula characterismis certis, manifestis, plenis interstincta (§. 840)." Ab eo inde tempore Galliae, Angliae, Germaniae medici in condendis morborum systematibus operam et laborem suum collo-

caverunt, quae primo symptomatica fuere, tum organica, tandem genetica. Symptomatici specimen laudabile protulit Cullenus, organici Pinellius, genetici, post Reilium, Kieserum, Starkium, nuper v. cl. Schoenlein.

Tale autem systema, siquidem naturae judiciis respondeat, non neglectis morborum formis et sedibus, geneticum sit oporteat, evolutionis scilicet organicae, quae generalis est totius organismi naturae character, notam in fronte gerens.

Oppositionis polaris ad normam, Reilius meditabatur classificationem galvanicam: in morbos generis vasorum et morbos generis nervorum. Hisce Kieserus adponendos esse morbos vegetationis atque evolutionis, juremerito praecepit. Quae quidem tres classes in systemate naturali, alio alioque nomine, sancitae esse videntur. Itaque habemus paratrophias, sive morbos plasticos, vitiata partium formatione et nutritione; haematoses, aegrotante sanguine; et neuroses, nervorum genere laeso. Ad primam classem referimus has quinque familias: vitia congenita (dystrophias) hypertrophias, atrophias, homoioplasias, heteroplasias. Ad alteram quatuordecim sequentes: congestiones, phlogoses, pyrexias, haemorrhagias, catarrhos, rheumata, erysipelata, cyanoses, scrofulas, phthises, dyschymoses, hydropes, arthritides, syphilides. Ad tertiam denique, septem numero sunt: intermittentes, neuralgias, comata, spasmos, pa-

ralyses, paraesthesias, vesanias (*). In quibus condendis partim auctores, supra laudatos, secuti sumus, partim ab iisdem defecimus, et brevitatis et simplicitatis (†) studiosi, secludentes etiam laesiones mechanicas, quae, nostro quidem judicio, perperam inter morbos suscipiuntur. Possent ex hisce familiis componi tribus, sive ordines; quemadmodum familiae generibus constant, genera speciebus, species individuis. Ita v. c. familiae congestionum, phlogosium, pyrexiarum uno nomine sive tribus, sive ordinis possent comprehendi, rursusque phlogoses discerni, tum ratione contex-

---

(*)

Cl. I. Paratrophiae.	Cl. II. Haematoses.	Cl. III. Neuroses.
Fam. 1. Vitia congenita. (Dystrophiae).	Fam. 6. Congestiones.	Fam. 20. Intermittentes.
2. Hypertrophiae.	7. Phlogoses.	21. Neuralgiae.
3. Atrophiae.	8. Pyrexiae.	22. Comata.
4. Homoioplasiae.	9. Haemorrhagiae.	23. Spasmi.
5. Heteroplasiae.	10. Catarrhi.	24. Paralyses.
	11. Rheumata.	25. Paraesthesiae.
	12. Erysipelata.	26. Vesaniae.
	13. Cyanoses.	
	14. Scrofulae.	
	15. Phthises.	
	16. Dyschymoses.	
	17. Hydropes.	
	18. Arthritides.	
	19. Syphilides.	

(†) Compendii et simplicitatis studium desiderari in multis classificationibus nuper propositis, in nuperrima etiam Fuchsiana, non est quod moneam.

tuum, ut recte fecit PINEL, tum partium singularium, ejusdem excellentis nosologi exemplo.

Verum haec mittentes systemata isthaec naturalia, quae vocantur, ad nosologiae historicae modulum metiamur atque ad naturae revocemus judicia.

Hujus testimonio ex antiquissimis morbis, vulgaribus illis, fuisse videntur: lepra, pestis, variolae: quas utrum ad semiticam sive caucasiam, num ad aethiopicam, aut mongolicam tribum referre oporteat, an ad omnes aequabiliter pertineant, jam perquirere nolo: sufficiat, fuisse orbis veteris. Ad classicum pertinent: causus, erysipelas, lithiasis, arthritis. Ad aevum medium: mors nigra, chorea epidemica. Ad orbem novum (*). syphilis, scorbutus, typhus. Haec genera summa num ita cohaereant, ut ex altero alterum ortum sit, an vero antiquis elementis accesserint nova,

---

(*) LEPRA.	PESTIS.	VARIOLAE.
Arthritis.	Causus.	Erysipelas.
Syphilis.	Intermittens.	Petechiae.
Scorbutus.	Typhus.	Miliaria.
Scrofula.	Febris flava.	Scarlatina.
(Tubercula.)	Cholera.	Morbilli.

Neurosium, aevo medio, exordium fuit a chorea epidemica, quam deinceps secutae sunt passio hysterica et passio hypochondriaca, communes numerosissimae neurosium prolis, recenti aevo, parentes.

ca, qua usi sumus, methodus genetica subindicare vobis poterit.

Hoc loco de adfinitatibus naturalibus, quatenus historica methodo significentur, videamus.

Atque lepra quidem sive leproidearum familia cum scrofulosis et tuberculosis morborum generibus ita cognata videtur, ut haec illius esse subolem credideris.

Pestis ab una parte cum tribu miasmaticorum morborum, ab altera cum tribu typhoidearum nectitur: id quod numerosa testimonia historica probant.

Variolas, exanthematum febrilium prototypum, et cum peste et cum intermittentibus et cum erysipelaceis reliquis occultas habere cognationes, epidemiarum historia docemur. Leprae forsitan et tuberculosi et scrofulosi hoc exanthema opponitur.

De catarrhorum et rheumatum adfinitate vix opus est, ut moneam. Ejusdem generis sunt blennorrhagiae et blennorrhoeae et febres gastricae et febres mucosae, quae ad typhoideas pariter adpropinquant, ut helmenthiasis, scrofulosis, ac neurosium quarumdam nexus est, experientiae longaevae testimonio.

Similiter et cum typhoideis et cum intermittentibus cognatae dysenteriae, cholerae, cumque dysenteriis miliaria, cum miliaribus rheumata.

Inter haemorrhoides, arthritides, apoplexias senum et scrofulam, rhachitidem puerorum, rem in-

dicante prae aliis KIESERO, manifesta cognatio est (*). Sed nolo hisce diutius immorari; exemplis prolatis ipsi plura ex epidemiarum relatione anteriori subjungere poteritis.

DE MORBIS HYBRIDIS.

Hybridos morbos eos vocamus, qui ex aliis generibus compositi sunt, neque ipsi tamen sua sponte, pari protinus forma, propagantur. Ab his discernere debetis morborum anomalias, quas facete STARKIUS morbos morborum nuncupavit: quamquam in singulis isthaec distinctio facilius praecipi, quam perfici poterit.

Itaque ad morbos hybridos referimus: neurophlogoses, ex morbo vasculoso et nervoso compositas, febres proportionatas TORTI, ex iisdem (cf. Lib. I. P. II. de Art. Med. pag. 227 sq.), hypochondriases arthriticas, ex neurosi et cachexia, syphilidem scorbuticam ex cachexia et dyscrasia, syphilidem scrofulosam, ex cachexia duplici.

A qua quidem generatione hybrida difficultates oriuntur diagnosticae atque therapeuticae, haud facile superandae; quae cum in dermatosibus dig-

(*) Homoioplasiarum et heteroplasiarum multarum proculdubio eadem cum hisce adfinitas, vulgo licet neglecta.

noscendis curandisque manifestae sunt, tum neque ipsos, peritissimos quamvis, latent ophthalmologos.

Exanthemati miliari id peculiare esse, ut sese cum aliis multis morbis copulet, supra vidimus: cum petechiis, cum scarlatina, aliis; unde nova existit, peregrina morbi cutanei facies. Suppar psorae ratio est, cum scrofulosi, cum syphilide connubia ineuntis, suppar syphilidis cum arthritide, cum rheumatismo, cum neurosibus coëuntis ac mixtae.

De quibus connubiis notandum est, saepenumero fieri, ut priscae in corpore habitanti aegritudini accedat nova, atque sive cachexiae, sive dyscrasiae prodeant sub forma catarrhorum, rheumatum, neurosium; ad quae connubia eapropter diligenter adtendendum est, ne specie veri imponamur ac cum morborum larvis pugnemus.

An typhoideae et tuberculoses natura conveniant, hodie quaeri eo magis posset, quo magis utrumque processum pathologi anatomici comparaverunt. Utraeque specie catarrhorum, aut rheumatum medicis saepenumero imponunt. Sic typhoideae febrium catarrhalium, tuberculoses catarrhi pulmonum, intestinorum (diarrhoeae) formam induunt. Quodsi cum scorbuto copulentur, febres petechiales, phthises scorbuticae exoriuntur: sin cum chlorosi, febres albae mucosae, phthises chloroticae existunt.

Morborum anomalias subinde ex corpore aegro-

tantis, subinde ex animi adfectu, subinde ex multiplici processu morboso, in eodem corpore contubernali, proficisci, peritorum observatio medicorum docuit. Ex intemperie nervorum, ex metu, ex inflammatione viscerum turbari variolarum evolutionem legitimam et decursum regularem, animadverterunt. Etiam scorbutico accedente elemento: unde variolae nigrae proveniunt, gangraenosae.

Praeterea caveatis oportet, ne renisus symptomata cum symptomatibus morbi confundatis. Phlogosium complures et febrium nihil aliud sunt, nisi ejusmodi symptomata activa, generis vasculosi synergeiam manifestantia, quae cum adparatu antiphlogistico oppugnent medici, venaesectionum atque hirudinum amantes, aegrum prius tollent, quam morbum. Inter historias febrium pestilentium ac typhoidearum hujus rei testimonia abundant.

Neuroses crebro sive cerebri medullaeque spinalis reflectentis indicia, sive organorum aegrotantium querelae sunt: quibus si antispasmodica opponamus, aut anodyna, his quidem naturae vocibus silentium imponere possumus, latentes vero in corporis penetralibus valetudines sanare non possumus. Nonne haec caussa est, cur neuroses nervinis ubi adgrediamur, sede duntaxat mutata, continuo nova sub specie renascantur, nisi forte naturae opera, concitato febrili motu, aliove morbo

acuto corpus occupante, tandem sponte cedant?

Atque ita ad uberrimum morborum hybridorum et anomalorum fontem detegendum traducimur: perversam videlicet morbos curandi rationem. Haec, si cogitetis, multis remediis, potissimum heroicis, quae vocantur, morbum artificialem in corpore suscitari, immo sive dyscrasiam creari, sive cachexiam, quanti facienda sit, nequaquam dubitabitis. Dyscrasiam acidam, alcalinam reputate et cachexiam a stibio, hydrargyro, jodio et abusum emeticorum, purgantium, diaphoreticorum, diureticorum, nec mirabimini syphilidis, scrofuloseos, arthritidis, morborum intestinalium, cutaneorum, renalium hybridas atque anomalas formas. Quapropter in horum quoque remediorum administratione BOERHAAVII nostri, viri profecto probi medendique periti, audienda vox est: *methodum si nescis, abstine.*

MORBORUM ORIGINES, NATALIA.

Cutim tam externam, quam internam, i. e. membranas mucosas, esse atria morborum, novimus. In his igitur morborum origines atque natalia investigare oportebit. Idcirco catarrhi cutis, pulmonum, intestinorum, erysipelata, rheumata,

tusses, alvi profluvia, blennorrhagiae aliave utriusque cutis affectae symptomata morbis plerisque praeludunt. Rem animadverterant rerum epidemicarum scriptores, qui a catarrhis et tussibus epidemicis futuras praecognoscere epidemias studuerunt. Cum utraque cute et sanguinis nectuntur et nervorum officinae. Atque ex his potissimum morbi prodeunt. Nutritio, circulatio, innervatio et sanitatis et morborum principia. Jam reputetis numerosas morborum caussas ab aëre, alimentis, vitae genere, animi adfectibus, nec latebit plurimorum morborum origo.

Inspicientes historias epidemiarum, continuo tempestatum insalubrium, annonae caritatis, belli calamitatum mentionem fieri videbitis. Accedunt mores pravi, lascivia, ignavia, immundities, animi aegritudines, curae, sollicitudo, temeritas: quibus fit, ut prae animantium genere tristis incumbat generi hominum aegrotandi necessitas.

Fuit tempus, quo vita sana et longaeva fruebantur homines. Hoc cum litterae sacrae, tum memoria veteris aevi, poëtarum, historicorum, philosophorum monumenta, aetatis aureae, infantiae generis humani nomine, commemorant, quibuscum medicorum consentiunt testimonia et sequentia consonant verba Celsi: » Homero auctore disci potest, morbos (internos) ad iram deorum immortalium relatos esse ab iisque opem posci solitam. Verique simile est, inter non multa auxilia

adversae valetudinis plerumque tamen eam bonam contigisse ob bonos mores, quos neque desidia, neque luxuria vitiarant." Et sane, si quae ex pravis moribus, ex desidia, ex luxuria laete succrescunt morborum germina, fingamus exstirpata, parum utique ex tanta malorum segete superesset. Videlicet, ut sanguine puro nervisque integris constat maxime sanitas, sic ab inpuro sanguine nervorumque turbata statistice atque aequilibrio mala plerumque valetudo enascitur.

Veteres Ægypti salubritatem celebrant, quae nunc pestis terrore famosa. Nec dubium, quin veterum hygieine ac politeia medica sacra multos morbos averterit, quibus recentior aetas adflicta est.

Ipsos denique morbos vulgo depuratorios habendos esse, magna veri specie, seniores medici suspicabantur.

Bubones in peste inguinaria, exanthema variolosum, leprosum, syphilides cutaneae, scrofuloses capitis, faciei, arthritides, sudor anglicus, chorea sancti Viti, miliaria, tubercula, exanthema typhoideum inter centena sunt hujus rei documenta, eos, quos vulgo vocamus morbos, naturae esse processus atque conatus principia aliena, inpura, peregrina e corpore eliminandi omnemque depurandi oeconomiam (*). Neque immerito ve-

---

(*) Ad hunc locum referte processum acclimatisationis, quem-

teribus purus et mundus idem habebatur ac sanctus corporisque lotionum, purgationum, balneorum et fontium salubrium tanta erat religio atque tam arctum antiquitus cum omni medica sacra vinculum.

Latent pandemiarum origines: pestis, leprae, variolarum, syphilidis, cholerae; nec, quo posito principio oriantur vicissimque occidant, jam increscant, jam decrescant, facile quis adamussim explicaverit. Illud tamen auguramur, cum organismo naturae universae naturaeque humanae manifesta, non satis perspecta licet, cognatione contineri.

Ante graves pandemias solent in annalibus medicis atmosphaerae tellurisque perturbationes commemorari: imbres et squallores et frigora et aestus et vulcanicae explosiones et terrae motus, nec minores rerum politicarum et humanarum: bella et rerum publicarum mutationes, eversiones, populorum exsilia, migrationes, religionis reformatio, novarum rerum inventio, inque orbe litterario, intellectuali, morali motus, quibus novus subinde seclorum nascitur ordo.

Harum caussarum et singularum et universarum

---

admodum dicitur et explicatur a V. doct. SCHNURRER pag. 202 sqq., nempe renisum febrilem, vasculosum, saepius antiphlogistico adparatu temperandum.

in historia pandemiarum creberrima exstat memoria. Nec dispar in homine singulo morborum origo, ex mutatis vitae conditionibus, aut evolutionum vitae periodis, ex anni temporum vicissitudinibus, ex animi habitu et turbis et studiis et adfectibus, in horas aliis et aliis, tam sanguini, quam nervis saepenumero mala intentantibus, nisi rationis imperio, divinae isthac particula aurae, regantur et moderentur.

Ex metu pestem oriri, medici antiquiores contendebant. Huic errori utique aliquid veri subest. Scilicet quamdiu homines mortem timent ac metuunt huncque timorem et metum vincere non didicerunt, mille morborum mortisque periculis patent. Hoc autem quomodo discant, nisi per veritatem divinam instituti ac liberati, nescire me prorsus fateor.

MORBORUM PHASES.

Oriuntur, increscunt, decrescunt, occidunt morbi, planetarum adinstar, suas decurrentes periodos suasque subeuntes metamorphoses, quas, quatenus sensibus manifestae sunt, dixerunt phases. Eas in pandemiis, epidemiis, endemiis non minus, atque in sporadicis morbis observare licet.

Veteris orbis morbi plastici, squamarum, bubonum, pustularum forma adparentes, in haematoses et neuroses transierunt, petechiarum, haemorrhagiarum, neuralgiarum, convulsionum, comatum, typhorum specie prodeuntes, quae iterum in vitam plasticam profluviis, cutis efflorescentiis, aphthis, exanthematibus mucosis, tuberculis, exsudatis, quae dicuntur, variis desierunt. Hisce intercurcurrentes conspicimus morbos a synergeia et sympatheia: febriles, inflammatorios, nervosos, in quibus curandis vulgo medicorum artificum opera et labor versatur.

In epidemiis parem animadvertimus cursum pariaque stadia et stadiorum phaenomena. Initio tusses sunt et catarrhi: sequuntur febres; tum neuroses exsurgunt, resque sive criticis, sive eliminatoriis processibus: cutis, mucosarum secretionibus, excretionibus, tumoribus, ulceribus terminatur.

Typhus primum sub morbi mucosi, catarrhalis specie suboritur, exinde neurosin refert, tandem crisibus aut veris aut spuriis finitur. Phthisis catarrhi, peripneumoniae, cachexiae ulcerosae sub persona in scenam prodit inque processu eliminationis plerumque frustaneo interire deprehenditur. Nec dispar aliarum heteroplasiarum ratio est.

Neuroses ex vita vegetativa initium sumere, in vitam animalem explodere solent. Ab intestinis ad

medullam, a medulla ad cerebrum transgressae, rursus in sympathicum redeuntes: subinde in phlogosin, pyrexiam, aut per corporis emunctoria in profluvium quodcunque exire cernuntur. Eodemque modo vesaniae, ab adfectibus plexus solaris orsae, cerebri arcem petunt: nec raro a cerebro iterum ad viscera descendunt.

Quemadmodum vero in generis humani vita et morbis varias periodos notavimus, sic in singulis quoque hominibus horumque valetudine varias periodos notare debemus.

De illis generis humani morbis monendum est, pandemiae febrilis varias phases: pestis, febris petechialis, typhi abdominalis ejusmodi significare evolutionis periodos. Suppares dyscrasiae pandemiae et pandemiae cachexiae phases repraesentant: lepra, erysipelas, arthritis, syphilis, scorbutus, scrofula: ex quibus lepra, syphilis, scrofula cachexiarum tribum: erysipelas et scorbutus dyscrasiarum, cum arthritide et constitutione venosa, potissimum constituunt: quod eo sensu accipiendum est: in illa tribu praeter sanguinem omnem corporis habitum laesum esse, in hac praecipue sanguinem, habitu licet non integro prorsus, praesertim in arthritide: ita ut utramque tribum, pro ratione ac gradu corporis aegrotantis, jam dyscrasiarum, jam cachexiarum titulo comprehendere oporteat.

Epidemiarum atque endemiarum phases ab historia discite.

In morborum miasmaticorum tribu intermittentes et praecedere et subsequi pestem observarunt medici, nec raro abs cholera, autumno nata, praesagiri futuram intermittentium epidemiam: hanc vero, sero autumno, excipere dysenteriam, ut dysenteriam excipit typhus. Interdum vero pesti aut hunc succedere, aut variolas: morbumque miasmaticum febrilem transire in contagiosum: erysipelaceum, typhosum.

Constitutio venosa haemorrhoidibus, arthritide, melaena, melancholia manifestatur: eundemque emollitionis processum multiplicia significant morbi phaenomena eaque tantopere abludentia ac dissonantia, ut, quae anatome pathologica ad unam malaciarum tribum revocaverat, ea tam phlogosium, quam neurosium classe computari soleant: infantum gastromalacia et enteromalacia, senum encephalomalacia, puerperarum hysteromalacia, (ne de osteomalacia, vitiorum organicorum numero comprehensa, dicamus) hujus sententiae documenta sint.

Hanc autem sic accipite, eundem processum morbosum, per plures vitae periodos pertinentem, symptomatibus denotari, specie dissimillimis, natura et origine paribus. Ita infantum dyspepsiae, puerorum scrofula, juvenum phthisis, ita primae aetatis rhachitis, provectae aetatis apoplexia, ita

virginum dysmennorrhaea, feminarum neuralgiae, vetularum scirrhi naturae societate cohaerent quaeque ab origine in corpore latebant morborum germina, in seram usque senectutem vegetant ac semper repullulantia mortem tandem inferunt.

MORBORUM FUNERA.

Hoc vocabulo, eo, quo intelligimus sensu, fortasse inaudito ac novo, intelligimus morborum mortuorum reliquias atque cadavera, quatenus per anatomen pathologicam atque analysin chymicam nobis innotuerunt.

Moriuntur morbi, ut, quibus inhaerent, moriuntur corpora organica, sive cum his ipsis, sive prius: acuti, qui vocantur, aut lysi, aut crisi: chronici secretionibus, excretionibus, processu ulcerationis, emollitionis, productis novis: serosis, fibrosis, osseis, cretaceis, crystallinis.

Hae morborum exstinctorum reliquiae, nisi aut epidermidis, epithelii desquamatione, furfurum, lamellarum, crustarum, membranarum specie secedant ceu cutis utriusque exuviae; corpori materno inhaerentes novos processus morbosos concitant (opus eliminatorium nuper dixerunt) saepius perniciem, quam salutem adportantes.

Per spirandi processum principia extractiva, organica, oxydata, cum sanguine circulantia, colatoriis traduntur, e corpore subducenda. Hoc cutis, hoc membranarum mucosarum munus est: perspiratione, sudore, sputis, urinis, faecibus organismi exsequias efferentium.

Exsudata homoioplastica, heteroplastica, fibrosa, albuminosa, adiposa, ossea, cretacea, melanotica, tuberculosa, scirrhosa, fungosa, inflammationum purarum, impurarum, nutritionis, secretionis morbosae producta hoc loco volumus, de quibus potissimum conferatis Carolum Rokitansky, anatomes pathologicae professorem viennensem.

Furunculi, anthraces in cellulosa: concretiones fibrosae in cute, mucosa: polyposae, adiposae, osseae in corde, musculis, arteriis: cholesteatomata, tubercula in dura meninge, cerebro, pulmonibus, intestinis, horumque rursus in vomicas, formationes cretaceas, cicatrices fibrosas transmutationes; concrementa calculosa, tophacea, arthritica in officina bilis, urinae, articulis ipsisque venis (*); sphacelus tandem et necrosis, hujus esse

(*) Videntur crebro dyscrasia sanguinis perque eam mota phlebitis deposita isthaec exsudata praecedere: ipsaque iterum sua vice processus phlogisticos concitare. Ex eodem principio metastases repetunt anatomes pathologicae interpretes; nec dubium, inflammationes inpuras, erysipelaceas cum phlebitide natura indoleque convenire.

loci censentur: de quibus teneatis velim, ut processuum morbosorum pristinorum exitus sunt, sic vulgo novorum processuum morbosorum esse initia ipsaque haec morborum funera totius fieri tandem interitus organismi caussas (†).

(*) Exemplo sint tubercula, calculi, strata epithelii in arteriarum tunicam internam deposita, ex aliis numero plurimis.

INDEX AUCTORUM (*).

Hensler, de Lepra in Occidente laud. in libr. de *Hist. Med.* pag. 149.

J. P. Ter Beek, de Elephantiasi Surinamensi, Lugd. Bat. 1841. cum fig.

Dr. J. F. C. Hecker, Geschichte der neuern Heilkunde, Berlin. 1839.

Dr. H. Haeser, Historisch-pathologische Untersuchungen: als Beiträge zur Geschichte der Volkskrankheiten, Dresd. u. Leipz. 1839. Tomus secundus prodiit ibid. a. 1841.

Thucydidis, de Bello Peloponnesiaco libr. VIII. ex interpretatione Laurentii Vallae ab Henrico Stephano iterum recognita etc. cum Indice, Francof. 1589.

D. J. Larrey, Mémoires de chirurgie militaire et campagnes, Paris 1812. IV. Tomes in oct.

Ernst Anton Quitzmann, Vorstudien zu einer philosophischen Geschichte der Medicin, als der si-

(*) Qui hoc loco non diserte citantur libri, eos jam citatos invenietis, tam in libris de Arte Medica, quam in libro de Historia Medicinae antea editis.

chersten Grundlage fur die gegenwärtige Reform dieser Wissenschaft, Karlruhe 1843.

A. H. L. Heeren, Ideën ueber die Politik, den Verkehr und den Handel der vornehmsten Völkern der alten Welt, Götting 1824.

Dr. H. Haeser, Lehrbuch der Geschichte der Medicin und der Volkskrankheiten, Jena 1843.

Historia de morbo, sive de mortalitate, quae fuit anno Domini MCCCXLVIII. compilata per Gabrielem de Mussis Placentinum. Accedit auctoris anonymi historia de mortalitate anni MCCCLXI et MCCCLXXIV.

Jo. Cantacuzenis, Historiarum libri ed. Paris. et in Corpore Scriptorum Historiae Byzantinae ed. Niebuhr, Bonn. 1832. Part XX. Vol. III.

Muratori (Lud. Ant.) Antiquitates Italicae medii aevi, Mediol. 1738—42.

——————— Rerum Italicarum Scriptores praecipui ab a. aerae Christ D. ad MD. Mediol. 1723—51.

Joh. Colle, Medicina practica, sive methodus cognoscendorum et curandorum omnium affectuum malignorum et pestilentium, Pisauri 1617. Ex libro vetusto Dionysii Secundi Colle a me Titiano Colle Filio Leonis Ingegnerii collecto. De Pestilentia 1348, 1350. et peripneumonia pestilentiali et maligna simul.

Chalin de Vinario, de peste libri III, opera Jacobi Dalechampii in lucem editi, Lugd. 1552. De hoc auctore et hujus scriptis minus cognitis vid. Haeser, *Hist. patholog. Untersuch.* I. pag. 124 sqq.

Jo. Pistorii, Rerum familiarumque Belgicarum Chronicon magnum, Francof. 1654.

Petri de Herentals, Prioris Floreffiensis, Vita Gregorii XI, in Stephani Baluzii Vitae Paparum Avinionensium Tom. I. Paris. 1693. 4to.

Bzovii, Annales Ecclesiastici ad ann. 1374.

Tho. de Champré, de Apibus. Hoc titulo recensetur liber ab Haesero.

Nicolai Perotti, Cornucopiae latinae linguae Basil. 1536. fol. Cit. ab Heckero, monogr. laud. pag. 28.

Leonhard Ludwig Finke, Versuch einer allgemeinen medicinisch-praktischen Geographie, worin der historische Theil der einheimischen Völker-und Staaten Arzeneykunde vorgetragen wird, Leipz. 1792 et 1793. III Voll. 8vo.

Conr. Schellig, et reliqui de Syphilide Scriptores citati inveniuntur in Hensleri opere vere erudito: Geschichte der Lustseuche, nec non apud Gruner, Scriptores de morbo Gallico.

Conrad Heinrich Fuchs, die krankhafte Veränderungen der Haut und ihrer Anhänge, in nosologischer und therapeutischer Beziehung dargestellt. In drei Abtheilungen, Göttingen 1840—41.

Gregorius Fabricius, Chemnizensis, Annales urbis Misnicae ad a. 1486.

Cyriacus Spangenberg, Mansfeldische Chronica, Eisleben 1572. fol.

Joh. Burchard's, Thüringische Chronik, Leipz. 1613.

Friedrich Schnurrer, Chronik der Seuchen in

Barth. Paschettus, de destillatione, catarrho vulgo dicta, libri III. Venet. 1615. 4to. (de dysenteria maligna et contagiosa a. 1609).

Jac. Fontanus, Medicinae practicae libr. III, Paris. 1612. 4to.

Der Friesel. Eine historisch pathologische Untersuchung von Dr. Franz Seitz, K. militair. und pract. Arzte zu Munchen, Erlangen 1845.

Carl. Rokitansky, Handbuch der pathologische Anatomie, Wien 1842. Hujus eximii operis Vol. I. quod dolemus, nondum prodiit.

George Cleghorn, Observations on the epidemical diseases in Minorca etc. London 1751.

Lionel Chalmers, an account of the weather and diseases of South-Carolina, Lond. 1776.

Jac. Bontii, in Indiis archiatri, de Medicina Indorum libri IV, Lugd. Bat. 1718.

Geschiedverhaal van de Cholera-epidemie te Leiden, 1832. door C. Pruys van der Hoeven, C. W. H. van Kaathoven en G. Salomon, Leiden 1833.

Jul. Const. Palmarius, de morbis contagiosis libri septem, Paris. 1578. 4to.

B. Caxanes, adversus Valentinianos de ratione mittendi sanguinis in febribus putridis libri III, Barcin 1592.

Joh. Petr. Lotichius, Consiliorum et Observationum medicinalium libri VII, Ulm. Suevor. 1658. 4to.

Petr. Paauw, Tractatus de Peste, cum Henrici Flo-

rentii ad singula ejusdem tractatus capita additamentis, Lugd. Bat. 1636.

Tho. Bartholinus, Acta medica Hafniensia ann. 1671—1ä79.

Hon. Fabri librum nullibi notatum reperisse sese, testatur Haeser II. pag. 201.

L. E. Binninger, Observationes manuscriptas editas ab L. E. Berdot; citat Haeser in Bibl. epidemiogr. pag. 52.

D. Jo. Hartm. Degner, Historia medica de Dysenteria bilioso-contagiosa, quae MDCCXXXVI. Neomagi et in vicinis ei pagis grassata fuit. Traj. ad Rhen. 1754.

Vincentius Baronius, Medulensis, de pleuroperipneumonia, nempe de morbo ex costalis membranae et pulmonis inflammatione conflato; pernicioso quidem et frequentissimo, at a nemine hactenus observato. Libri II. Forolivii 2638. 8vo.

Herm. van der Heyde, Discours et avis sur les flux douloureux, soit qu'il y ait du sang ou point, sur le cholera morbus, ou trousse galant (*), la

(*) Cholerae nomine quoque nuncupavit hunc morbum Tissot in libro: *Avis au peuple sur sa santé;* verum quo jure, nescio, saltem in descriptione apud Forestum a teste oculari morbus, qui ipsius aetate hoc nomine dicebatur, non erat cholera. Hoc loco Tissoti manes placare liceat, meum ipse errorem corrigendo. Videlicet lib. II. Part. alt. de Arte Medica male inscripseram Andreae Simoni Tissot: erat autem scribendum: Samueli Augusto Andreae Davidi Tissot. Cf. *Essai sur la vie de Tissot* par Ch. Eynard. Lausanne 1839.

peste, les effets signalés de l'eau, la vraye guèrison ou curation de la goutte, les fièvres tierces et quartes et leurs accidens et la cause de l'infection des Polders, Gand 1643. 4to.

F. A. B. Puchelt, Het aderenstelsel in deszelfs ziekelijken toestand, naar het Hoogduitsch, Amst. 1834.

M. E. Rufz, Etude de la phthisie à la Martinique, in Mém. de l'Acad. roy. de Méd. Tom. X. pag. 223 sqq.

J. F. Schouw, Europa. Physisch-Geographische Schilderung. Mit einem Atlasse, Kopenh. 1833.

Berghaus, Physikalischer Atlas, Gotha 1838—1845.

Alexander von Humboldt, Kosmos. Entwurf einer physischen Weltbeschreibung. I. B. Stuttg. u. Tubing. 1845. Oct. (*).

J. Ch. M. Boudin, Essai de Géographie médicale, ou études sur les lois qui président à la distribution géographique des maladies, ainsi qu'a leurs rapports

---

(*) Hunc librum praeclarum, tanto auctore dignum, auditoribus commendavi sermone academico, habito initio cursus a. 1845, qui prodiit Lugd. Bat. ap. P. H. v. d. Heuvell sub titulo:

Alexander von Humboldt, interpres naturae. Auditoribus suis proposuit C. Pruys van der Hoeven.

Apud eundem editorem prodit lingua vernacula, cura viri doct. E. M. Beima, editio ad normam Gallicae aucta atque emendata. Inscribitur autem: Kosmos. Ontwerp eener natuurkundige wereldbeschrijving van Alexander von Humboldt. Naar het Hoogduitsch door E. M. Beima math. mag. et philos. nat. doctor. conservator bij 's Rijks Museum van Nat. Hist. te Leiden, I. Deel, I. Aflevering. Leiden, P. H. v. d. Heuvell 1846.

topographiques entre elles: lois de coincidence et d'antagonisme, Paris 1843.

Hujus libri versionem germanicam scripsit vir doct. A. Drey, quae prodiit Erlang. a. 1844. sub titulo: Versuch einer medicinischen Geographie etc.

Dr. Dietrich. Georg. Kieser, System der Medicin, zum Gebrauche bei akademischen Vorlesungen und fur praktische Aerzte, Halle 1817. II. B. 1819.

Conr. Heinr. Fuchs, Lehrbuch der speciellen Nosologie und Therapie, Gött. 1845. I. B.

Friedr. Schnurrer, Geographische Nosologie, oder die Lehre von den Veränderungen der Krankheiten in den verschiedenen Gegende der Erde, in Verbindung mit physischer Geographie und Naturgeschichte des Menschen, Stuttg. 1813.

Carl. Ritter, die Erdkunde, im Verhältniss zur Natur und zur Geschichte des Menschen, oder allgemeine vergleichende Geographie, als sichere Grundlage des Studiums und Unterrichts in physikalischen und historischen Wissenschaften 2 Ausg. Berlin 1822—1844.

Hactenus prodiere XI. Voll. in Octavo. Quod opus immortale ut absolvatur, bonarum litterarum scientiarumque caussa vehementer optamus.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

pag.	7. *lin.* 22	lucis	*lege :*	luis
——	22. — 4	turberculosi	——	tuberculosi
	90. — 8	in Anglia	——	in Angliam
——	99 et sqq.	Quoad aetiologiam sudoris Anglici notandum, mihi, re bene perpensa, longe potiorem partem, nisi unicam, climati Angliae insulari, pluvioque coelo videri adscribendam esse.		
——	120. *ult.*	completai	——	completae.
——	180. — 18	enteretidis	——	enteritidis
——	207. — 4 sq.	cholerae cum influenza cognationem negat GLUGE, in monographia de Influenza pag. 33. monetque, hanc, quoad ipse noverit, nunquam cum aliis simul pandemiis regnasse: is paulo infra pag. 35. notat, subinde cutem referre cutem cholericam. Caeterum de cognatione cum intermittentibus nullum dubium est.		
——	217. — 8	Historia etc. h. l. epidemia legendum conjicio.		
——	239. — 9	1743	*lege :*	1748
——	260. — 12	1580	——	1680.